

ANALECTA VATICANA

EDIDIT

DR. OTTO POSSE.



OENIPONTI.
LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.
1878.

TIPIS WAGNERIANIS, OENIPONTI.

ARGUMENTUM.

PREFATIO.

Anno 1876 a gubernio regni Saxonici ex archivis Italicis, que ad „Codicem diplomaticum Saxoniae regiae“ pertinerent, colligere atque promere jussus, que inveni, hic sum editurus in „Analectis Vaticanis“, pro additamento scilicet studiorum eorum, in que in Urbe illa eterna incubui. Edo autem ea ex exemplo eo, quod tunc transscripsi, aliis potissimum rebus intentus, ex bibliothece Vallicelliane Codice chart. fol. sign. I. 53, qui scriptus est seculo XVII. a Rainaldo ad continuandos Baronii „Annales ecclesiasticos“, ex regestis Vaticanis ab anno 1198—1287.

Nonnulla suppeditavit ejusdem bibliothece Codex Ms. Memb. 4. sec. XIV. in. C. 49 [1]). „Analectorum Vaticanorum“ pars prior regesta continet annorum 1254—1287, quibus res paparum Alexandri IV., Urbani IV., Clementis IV., Gregorii X., Innocentii V., Hadriani V., Johannis XXI., Nicolai III., Martini IV., Honorii IV. illustrentur, multaque nos docet, que, etsi brevia sunt, tamen aliquid valeant ad universam posterioris seculi XIII. partis historiam accuratius pernoscendam atque ad Potthasti, „Regesta Pontificum“, tam supplenda, quam corrigenda. Quorum quo facilius eis, qui eadem

---

[1]) De codice cf. Dudík, Iter Romanum, 1855. I. 25.

sint tractaturi, fiat copia, ad bullas singulas addidi volumen numerumque bullariorum in secretioribus archivis Vaticanis adservatorum. Addo eos, qui his presunt, dummodo, quo loco queque bulla sit scripta, accurate cum ipsis communicetur, illam prompta cum cura esse transscripturos. Ipse hoc loco grato pioque animo facere non possum, quin profitear, quantum illis hoc in libro edendo debeam.

Altera in parte edentur „Acta Vaticana“ aliquot, que ad res nostras maximi momenti sunt. Hec quoque benigne liberaliterque mihi commodaverunt archiviste illi eidem. Quod ea, cum prius esset proficiscendum, cum archetypo ipso conferre mihi non licuit, vehementer doleo. Erunt sane, qui, cum eis diutius ut Rome versentur, contigerit, plura sint congesturi atque e codicibus Italicis regesta a me data aucturi. Atqui ego id spectavi, ut et eos, quibus in Vaticanorum archivorum adytum penetrare non liceat, edoceam de codicibus quibusdam, ad quos facilior patet aditus, et ut facultatem eis prebeam sibi bullarum Vaticanarum, quas quidem noscere ipsorum intersit, exempla comparandi. Mihi cum illa per tempus anguste circumscriptum essent colligenda, cum libellus ipse mihi Roma reverso et ab alio in alium locum ad perscrutanda archiva peregrinanti esset conscribendus, peto a te, lector benevole, ut plagellas has benigne excipias.

Regestorum Vaticanorum volumina, que ab Rainaldo adhibita ipse in „Analectis Vaticanis“ usurpavi, hec sunt [1]).

I. Alexander IV. 1254—1261.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1254. (A.)

---

[1]) De Regestis Vaticanis cf. G. H. Pertz, Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, V. 350. — Palacky's italienische Reise im Jahre 1837, 35—48. — B. Dudík, Iter Romanum 1855. I. 13 sqq., 45.

2. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1255. (A_1.)

3. Ejusdem registri tomus II., annus III., qui incipit ab anno domini 1256. (B.)

4. Ejusdem registri tomus II., annus IV., qui incipit ab anno domini 1257. (B_1.)

5. Ejusdem registri tomus II., annus V., qui incipit ab anno domini 1258. (B_2.)

6. Ejusdem registri tomus II., annus VI., qui incipit ab anno domini 1259. (B_3.)

II. Urbanus IV. 1261—1264.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1261. (A.)

2. Registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1262. (B.)

3. Registri tomus II., annus III., qui incipit ab anno domini 1263. (D.)

4. Incipiunt littere curiales, annus III., pag. 137. Sequitur eas una charta pro anno IV. dato. (D_1.)

5. Registri tomus III., annus III., qui incipit ab anno 1263. (C.)

III. Clemens IV. 1265—1268.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1265. (A.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_1.)

2. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1266. (A_2.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_3.)

3. Ejusdem registri tomus I., annus III., qui incipit ab anno domini 1267. (A_4.) Continet etiam Lib. III. litterarum curialium ejusdem anni. (A_5.)

4. Ejusdem registri tomus I., annus IV., qui incipit ab anno domini 1268. (A_6.) Continet etiam Lib. IV. litt. curialium ejusdem anni. (A_7.)

5. Registrum continet litteras ad omnes quatuor Clementis IV. pontificatus annos spectantes. (B.) Continet etiam litteras separatas curiales anni quarti (B_1) et temporis „sede vacante“. (B_2.)

6. Alius codex, in quo complures alie Clementis littere ad omnes quatuor ejus pontificatus annos spectantes continentur (C.)

IV. Sede vacante 1269—1271.

Registrum Clementis IV. litterarum curialium anni quarti. (B_2.)

V. Gregorius X. 1272—1276.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1272. (A.) Continet litteras curiales ejusdem anni. (A_1.)

2. Registrum aliud anni I. in eodem tomo. (A_2.)

3. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1273. (A_3.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_4.)

4. Ejusdem registri tomus I., annus III., qui incipit ab anno domini 1274. (A_5.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_6.)

5. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1275. (A_7.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_8.)

VI. Innocentius V. 1276.

Desideratur registrum. Cf. C. 49.

VII. Hadrianus V. 1276.

Desideratur registrum. Cf. Reg. Martini IV. Tom. I. annus I.

VIII. Johannes XXI. 1276. 1277.

Extat tomus unus.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1276. (A.)

2. Aliud registrum ejusdem pape ligato eodem tomo (A), in quo tamen nonnulla desiderantur. Incipit a numero epistolarum 31. (A_1.)

IX. Sede vacante 1277.

Cf. C. 49.

X. Nicolaus III. 1277—1280.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1278. (A.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_1.)

2. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1279. (A_2.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_3.)

3. Ejusdem registri tomus I., annus III., qui incipit ab anno domini 1280. (A_4.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_5.)

4. Registrum in folio parvo, annus I., qui incipit ab anno domini 1278. (B.)

5. Ejusdem registri annus II., qui incipit ab anno domini 1279. (B_1.)

6. Ejusdem registri annus III., qui incipit ab anno domini 1280. (B_2.)

XI. Martinus IV. 1281—1285.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit ab anno domini 1281 (A.)

2. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1282. (A_1.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_2.)

3. Ejusdem registri tomus I., annus III., qui incipit ab anno domini 1283 (A_3.). Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_4.)

4. Ejusdem registri tomus I., annus IV., qui incipit ab anno domini 1284 (A_5.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_6.)

5. Registri tomus II. parvus in 4⁰, annus I., qui incipit ab anno 1281. Continet litteras ad omnes annos spectantes. (B.)

XII. Honorius IV. 1285—1287.

1. Registri tomus I., annus I., qui incipit anno domini 1285. (A.)
2. Ejusdem registri tomus I., annus II., qui incipit ab anno domini 1286. (A_2.) Continet etiam litteras curiales ejusdem anni. (A_3.)

Restat, ut eis gratias agam maximas, qui hac in opera tam comiter me adjuverunt, Vorçak et Leiss, vv. cc., bibliothece Vallicelliane antistitibus, ac Seidemann Dresdensi Ehlersque Quelferbitano, qui, qua sunt erga me amicitia, correcturam non detrectaverunt.

Dresde, mense Aprili 1878.

OTTO POSSE.

I.

REGESTA VATICANA

INDE AB ANNO 1254 USQUE AD ANNUM 1287.

ALEXANDER IV. 1254—1261.

Eligitur 1254 Dec. 12. Neapoli. — Consecratur (1254 Dec. 20. Neapoli). — Moritur 1261 Maji 12. Viterbii. — Vacatio 1261 Aug. 25—29.

1254.

Dec. 19. Neapoli. Episcopo Chimensi. Confirmatur erectio ipsius episcopatus, quam fecit Eberardus archiepiscopus Salzeburgensis in suamet diocesi tempore Innocentii IV., cujus erectionis instrumentum habetur insertum. — „Iisque ad laudem". XIIII. kal. Jan. 19 p. 4 A. 1

„ 28. „ Magistro Leoni de Romania canonico Bajocensi. Committitur ei regimen Sabinie totiusque Patrimonii s. Petri. — „Ad diversas". V. kal. Jan. 10 p. 2 A. Universis episcopis per Patrimonium b. Petri. De eodem cum superiori. In e. m. nobilibus viris, comitibus. 2

„ 31. „ Bernardo episcopo Perusino. Committitur ei ecclesia Perusina, quem etiam suis manibus pontifex consecravit — „Vacante". II. kal. Jan. 13 p. 3 A. In e. m. archipresbytero Perusino. 3

1255.

Jan. 7. Neapoli. Universis abbatibus et conventibus Cisterciensis ordinis. Ut apostolice sedis legati ad eorum domos accedentes cibis regularibus sine esu carnium sint contenti. — „Cum propter". VII. id. Jan. 76 p. 10 A. 4

„ 8. „ P. 15,622: Archiepiscopis, episcopis etc. per regnum Sicilie constitutis. De eodem. 51 p. 8 A. 5

„ 28. „ Philippo Ispalensi electo. Ut decimas recipiat a civibus Ispalensibus de novo de Sarracenorum spurcitiis ad Christum conversis. — „Cum civitas". V. kal. Febr. 89 p. 12 A. 6

Febr. 4. „ P. 15,670: Episcopis, abbatibus etc. per ducatum Suevie constitutis. Ut Alphonso regi Castelle et Legionis in recuperando ducatu Suevie auxilium prestent. — „Ea carissimus". II. non. Febr. 127 p. 16 A. In e. m. comitibus per ducatum Suevie. 7

„ 15. „ P. 15,690: XIII. kal. Mart. 158 p. 19 A. 8

„ 15. „ Capitulo Pactensis ecclesie. Transmittit eorum episcopum a se consecratum. — „Olim". XV. kal. Mart. 329 p. 48 A. In e. m. clero civitatis et diocesis. 9

1255.

Febr. 18. Neapoli. Potestati, consilio et communi Mantuanorum. Ut revocent statuta edita contra jurisdictionem, quam habet Romana ecclesia in terra Pipugnanie. — „Cum sitis". XII. kal. Mart. 139 p. 17 A. Potestati, consilio et communi Reginorum. De eodem. Militibus Pipugnanie. Ut Guidoni de Baesio obediant. Guidoni. Committitur gubernatio terre Pipugnanie. 10

„ 25. „ P. patriarche Constantinopolitano, apostolice sedis legato. Constituit eum legatum in imperio Constantinopolitano. — „Inducti". V. kal. Mart. 162 p. 19 A. 11

„ 25. „ Archiepiscopis, episcopis etc. per Constantinopolitanum imperium constitutis. De eodem legato. — „Quia commissum". Datum ut supra. 163 p. 20 A. 12

Mart. 5. „ Nobilibus viris magistris justitiariis per regnum Sicilie constitutis. Ut mercatores Romanos per eos transeuntes nullis exactionibus aggravent. — „Honorem nobis". III. non. Mart. 178 p. 22. A. 13

„ 5. „ Nobilibus viris in Patrimonio ecclesie constitutis. De eodem. 179 p. 22 A. 14

„ 6. „ P. 15,721: — „Catholice fidei". 220 p. 29 A. 15

„ 10. „ Episcopo Norwicensi. Laudat eum eximie et commendat opus, quod fecit, hospitale scilicet ad receptionem pauperum sacerdotum. — „Ad instar auri". VI. id. Mart. 212 p. 28 A. 16

„ 15. „ Rectoribus et fratribus confratrie Italicorum sancti Spiritus Acconensis. Confirmantur eorum statuta, que pro subsidio terre sancte se congregarunt. — „Petitio vestra". id. Mart. 290 p. 42. 17

„ 19. „ Archiepiscopo Rigensi. Ut paganos quosdam ad fidem recipiat. — „Que laudem". XIIII. kal. Apr. 294 p. 44 A. 18

„ 23. „ O. Patriarche Antiocheno apostolice sedis legato. Confirmat ejus legationem in suo patriarchatu. — „Fraternitatis". X kal. Apr. 243 p. 32 A. 19

„ 27. „ Tyrensi archiepiscopo et Lidensi episcopo. Committitur eis cura ecclesie Jerosolymitane, quousque patriarcha de novo electus illuc perveniat. — „Licet". VI. kal. Apr. 259 p. 33 A. 20

Apr. 6. „ Clero et populo Recanatensi. Confirmat erectionem ejus episcopatus factam a Gregorio papa (ut puto IX) propter fidelitatem semper ecclesie Romane exhibitam contra Fridericum. — „Exigentibus". VIII. id. Apr. 301 p. 45 A. 21

„ 9. „ Jacobo episcopo Jerosolymitano electo. Constituit eum Jerosolymitanum episcopum. — „Ad culmen". V. id. Apr. 270 p. 35 A. In e. m. suffraganeis. 22

1255.

Apr. 9. Neapoli. P. 15,786: — „Dudum“. 334 p. 49 A. 23
„ 12. „ P. 15,795: III. id. April. 344 p. 51 A. 24
„ 13. „ Nobili mulieri Marchisine nate ducis Venetorum. Conceditur in feudum comitatus Andre. — „Quia nonnunquam“. id. Apr. 272 p. 36 A. 25
„ 25. „ P. 15,823: Sex sequuntur epistole quibus diversa eidem regi (Francie) ac regine privilegia conceduntur. 349 p. 51 A. 26
„ 30. „ Nobili viro Carolo comiti Andegavie et germano regis Francie. Laudat ejus pietatem, indulget, ut in loco interdicto possit missam audire. — „Cum ad arcana“. II. kal. Maji. 350 p. 52 A. Eidem. Alia privilegia. 27
„ 30. „ Universis Beneventanis. Tanquam fideles ecclesie privilegiantur. — „Dignum est“. II. kal. Maji. 401 p. 58 A. 28
Maji 1. Potestati, consilio et comuni Mediolanensium. Episcopum Bononiensem ad eos transmittit pro confirmanda inter ipsos pace, que aliquantulum titubabat. — „Et si circa“. kal. Maji. 400 p. 58 A. 29
„ 3. „ Electo Albensi. Dispensat propter bonum pacis super consanguinitate inter Georgium de Ceva marchionem et Agnetem, sororem Bonifacii, marchionis de Carreto. — „Et si conjunctio copule“. V. non. Maji. 379 p. 55 A. 30
„ 12. „ Theobaldo comiti Barriducis et Johanne nate Johannis de Toncrio. Dispensat super consanguinitate. — „Ad hoc“. IV. id. Maji. 386 p. 56 A. 31
„ 13. „ P. 15,856: Illustri regi Francie. De eodem. 405 p. 58 A. 32
„ 19. „ Priori et fratribus b. Marie de Monte Sonaio Florentin. servi s. Marie vulgariter nuncupati. Indulget, ut ad constructionem oratorii et domus legata recipere possint. — „Significastis“. XIIII. kal. Jun. 424 p. 60 A. 33
„ 21. „ Clero, consulibus et populo Beneventanorum. Eximit eos a solutione pro bullis pontificialibus. — „Dignum est“. XII. kal. Jun. 472 p. 70 A. 34
„ 25. „ Abbati monasterii Gurguliensis ordinis s. Benedicti. Ut possit temperare ordinis rigorem. — „Ex parte tua“. VIII. kal. Jun. 447 p. 63 A. 35
Jun. 4. Capue. Episcopo Eduensi. Transmittit palleum ei per episcopum Lingonensem assignandum. — „Cum palleum“. II. non. Jun. 420 p. 60 A. Episcopo Lingonensi. De eodem. 36
Jul. 14. Anagnie. Wolrado electo Halberstadensi. Confirmata ejus electione, irritat, que fecit Ludulfus de Sladen intrusus. — „Sicut te intimante“. II. id. Jul. 550 p. 80 A. Sequuntur tres alie epistole contra eundem Ludulfum. 37

1255.

Jul. 29. Anagnie. Rectori et prioribus Penitentie Jesu Christi ordinis s. Aug. Ut possint predicare verbum dei. — „Tu in ore". IIII. kal. Aug. 542 p. 79 A. 38

(Aug. 2.) („) P. 15,971. Nobili viro Bolezlav Cracovie et Sandomerie duci. Confirmat factam ab eo donationem monasterio pauperum dominarum ordinis s. Damiani. 572 p. 85 A. 39

„ 6. „ P. 15,981. Archiepiscopis, episcopis et aliis. De eodem. 564 p. 84 A. 40

„ 7. „ Priori et conventui monasterii de Parco b. Marie Cartusiensis ordinis. Confirmat eis factam donationem anno 1243 a Matilda vicecomitissa Bellimontis. — „Solet annuere". VII. id. Aug. 549 p. 80 A. 41

„ 12. „ Archiepiscopis et episcopis etc. per Sardiniam et Corsicam constitutis. Archiepiscopum Calaritanum pro bono pacis eo legatum transmittit. — „De supremis". II. id. Aug. 585 p. 88. A. Archiepiscopo Calaritano. De ea legatione. 42

„ 13. „ Universis patriarchis. Declaratio constitutionis (P. 15,776) super receptione canonicorum, qui vacationem expectarent. — „Nuper". id. Aug. p. 121 A. 43

„ 18. „ Constitutio, qua revocata privilegia concessa ab Innocentio, ne ab ordinariis censuris illigari possent, nisi sint reges aut uxores aut regum filii fratresve aut magnates, qui ea gratia ornati sint antiquitus a sede apostolica. — XV. kal. Sept. a. 1°. p. 122 A. 44

„ 18. „ P. 15,990, 15,991: Eidem (scolastico Argentinensis ecclesie) alie tres epistole. De eodem, ut nobiles civitatis Coloniensis citet ad satisfaciendum ecclesiis et excommunicet. 597 p. 90 A. 45

„ 21. „ Capitulo Pactensi. B. de ordine Predicatorum ipsius pape manibus consecratum episcopum ad eos transmittit. — „Olim". XII. kal. Sept. 579 p. 88 A. In e. m. clero et populo civitatis. 46

„ 28. „ P. 16,000. — „Matris ecclesie". 574 p. 86 A. 47

„ 28. „ P. 16,005. „Inter alia". 590 p. 89 A. Eisdem. De eodem. 48

Sept. 5. „ Populo civitatis Panormi fidelibus nostris. Confirmantur eorum jura, possessiones, consuetudines. — „Quia civitas". non. Sept. 591 p. 90 A. 49

„ 8. „ Abbati monasterii Brantolanensis ordinis s. Benedicti Petragoricensis diocesis. Ut rigorem ordinis sui valeat temperare. — „Ex parte". VI. id. Sept. 620 p. 93 A. 50

„ 9. „ Abbati Moysiacensi, Cluniacensis ordinis, Caturcensis diocesis. Ut Haymerico de Bressolis olim heretico, tum ad ecclesiam reverso, imposite penitentie asperitatem temperet. — „Dil. fil." V. id. sept. 616 p. 93 A. 51

1255.

Sept. 17. Anagnie. Potestati et comuni Capuensium. Eximit eos ab exactionibus per omnes terras Romane ecclesie. — „De meritorum". XV. kal. Octob. 621 p. 94 A. 52

„ 20. „ P. 16,029 sine nota chronol. — „Sicut nobis". Anagnie XII. kal. Oct. 646 p. 97 A. 53

„ 30. „ P. 16,027: — „Pietas". Anagnie II. kal. Oct. 656 p. 98 A. In e. m. regine (Francie). 54

„ 30. „ Potestati, consilio et communi civitatis Brundusine fidelibus nostris. Eorum fidelitas commendatur, recipiuntur in dominium ecclesie Romane ad instantias. J. pape ejus predecessoris, aliis privilegiis cumulantur. — „Quia vestre". II. kal. Oct. 684 p. 101 A. 55

Oct. 1. „ Potestati, consilio et communi Capuanorum. Ut a kalendis Junii per quindecim sequentes dies, infra quos ab ipso papa fuit consecrata cathedralis ecclesia Capuana, nundinas celebrare possint. — „Nostre mentis". kal. Oct. 652 p. 97 A. 56

„ 1. „ Universitati magistrorum et scholarium Salamantinorum. Ut semel ibi examinati in quolibet alio studio, excepto Parisiensi et Bononiensi regentis officium possint exercere. — „Dignum". kal. Oct. 653 p. 97 A. 57

„ 17. „ P. 16,065: XII. kal. Nov. 691 p. 101 A 58

„ 19. „ Regi Castelle illustri. Laudat eum, quod studium Salamantinum erexerit. — „Quoniam ab antiquo". XIIII. kal. Nov. 692 p. 101 A. 59

Dec. 1. Laterani. J. tit. s. Laurentii in Lucina. Ut sorores dictas penitentes ab ecclesia s. Marie super Minerva ad ecclesiam s. Pancratii transferat. — „Pietatis". kal. Dec. 721 p. 104 A. 60

„ 7. „ P. 16,101. — „Ad statum". 110 p. 141 A. 61

„ 7. „ Archiepiscopis, episcopis etc. Jacobum patriarcham Jerosolymitanum constituit legatum ibidem et in exercitu christiano ibidem pro terre sancte subsidio commorante. — „Ad statum". VII. id. Dec. 767 p. 112 A. 62

„ 18. „ Conventui monasterii Lesarensis Cluniacensis ordinis Toletane diocesis. Gerardus de Villa nova Moysiacensis abbas Cluniacensis ordinis constituitur, cui munus benedictionis ipse papa impendit. — „Cum dudum". XV. kal. Jan. 791 p. 116 A. 63

1254—1255.

Dec. 20. — Dec. 19. — Abbati et capitulo secularis ecclesie s. Jerusalem ac hominibus de Piscaria. Recipiuntur in protectionem. 16 p. 3 A. 64

„ 20. — „ 19. — Generali et fratribus de Penitentia. Recipiuntur in protectionem. 569 p. 85 A. 65

1255.

Dec. 23. Laterani. Abbati monasterii s. Marie de Longan. Cisterciensis ord., Corisopitensis dioc. Ut possit excommunicare eos, qui intulerunt gravia damna ipsi monasterio. — „Loca religiosa". X. kal. Jan. 102 p. 138 A_1. **66**

1256.

Jan. 12. „ Jacobo patriarche Jerosolymitano apostolice sedis legato. Ut in ecclesia dominici sepulchri sex canonicos instituat. — „Cum sicut". II. id. Jan. 67 p. 132 A_1. **67**

„ 15. „ Episcopo Agennensi. Propter bonum pacis dispensat super consanguinitate inter natum Willhelmi Ferriol et natam Vitalis de Contaldo. — „Et si conjunctio". XVIII. kal. Febr. 46 p. 130 A_1. **68**

„ 18. „ Abbati monasterii s. Johannis Angeliacensis ord. s. Ben. Xanctonensis dioc. Ob reverentiam precursoris, cujus caput asserit in eo monasterio asservari, concedit, ut possit uti mitra. — „Dignum arbitramur". XV. kal. Febr. 166 p. 151 A_1. **69**

„ 26. „ Nobili viro Ademaro de Pictavia comiti Valentino. Propter bonum pacis super consanguinitate dispensat inter ipsum et Margaritam marchionissam Montis ferrati. — „Exposuit". Laterani VII. kal. Febr. 58 p. 131 A_1. Scriptum de eo eidem marchionisse. **70**

„ 26. „ Ministro et universis fratribus ordinis s. Trinitatis et Captivorum. Ut in monasterio de Cervo frigido Meldensis diocesis, ubi eorum ordo dicitur institutus, quolibet anno capitulum celebrent. — „Solet annuere". VII. kal. Febr. 85 p. 136 A_1. **71**

(„ 26.) („) Universis Christi fidelibus. Conceditur indulgentia visitantibus ecclesiam s. Stanislai in ejus translatione. 109 p. 140 A_1 cf. P. 16,212. Eisdem. Conceditur indulgentia visitantibus tumulum s. Stanislai. 109 p. 141 A_1. **72**

„ 31. „ Fratri Guidoni, abbati de Elemosina Cisterciensis ordinis. Constituitur regens in schola Parisiensi — „Doctor sponse". II. kal. Febr. 99 p. 138 A_1. Scriptum de eo universitati magistrorum Parisiensium. **73**

Febr. 17. „ Potestati, consilio et communi Monopolitanorum. Quedam eis confirmantur privilegia eo, quod a Manfredo recedentes ecclesie Romane fidelitatem juraverant. — „Quia vestre". XIII. kal. Mart. 134, p. 147 A_1. **74**

„ 18. „ Magistro, preceptoribus et fratribus Hospitalis s. Johannis in Jerosolymitana provincia constitutis. Ut patriarcham Jerosolymitanum ut eorum legatum recipiant. — „Cum ven." XII. kal. Mart. 131 p. 146 A. In e. m. aliis. **75**

„ 20. „ Abbati monasterii s. Petri Cluniacensis ejusque fratribus. Recipiuntur in protectionem, diversa eis privilegia indulgentur. — „Religionis". X. kal. Mart. 128 p. 145 A_1. **76**

1256.

Febr.23. Laterani. Guillelmo abbati Cluniacensi. Quod non admisit monachos ipsum in multis accusantes. — „Ne de processu". VII. kal. Mart. 156 p. 150 A_1. 77

Mart.15. „ Abbati et conventui s. Marie de Gloria Anagnin. Floren. ord. Confirmatur eis facta donatio a Gilleberto marescalco Anglie de quodam jure patronatus anno domini 1239. — id. Mart. anno 2⁰. 731 p. 99 B. 78

Apr. 11. „ Magistro et fratribus Hospitalis s. Spiritus in Saxia de Urbe. Conceditur eis in usum languentium monasterium s. Helye, Nepesine dioc., cum suis pertinentiis. — „Cum sicut". III. id. Apr. 224 p. 159 A_1. Scriptum de eo R. s. Angeli diac. cardinali. 79

„ 23. „ Abbatisse et conventui monasterii s. Pancratii de Urbe Cisterc. ord. Donatur eis monasterium s. Angeli sub ripa Portuensis dioc. cum suis domibus. — „Quia mundi". IX. kal. Maji. 236 p. 160 A_1. 81

„ 26. „ Archiepiscopo Turonensi. Confirmat absolutionem ab excommunicationibus factam comiti Britannie per quosdam cardinales. — „Cum dil." VI. kal. Maji. 265 p. 165 A_1. 80

Maji 5. „ Abbati et conventui monasterii s. Martini Viterbiensis Cisterc. ord. Confirmatur donatio eis facta anno 3⁰ Honorii pape de medietate ecclesie de Holcam. Habetur tenor insertus. — „Cum a nobis". III. non. Maji. 487 p. 210 A_1. 82

Jun. 11. Anagnie. Archiepiscopo Bisuntino. Ut inquisita veritate excommunicet universitatem, consules etc. Argentinenses libertati ecclesiastice se opponentes. — „Ven." III. id. Jun. 303 p. 176 A_1. Scriptum deo eo ipso capitulo Argentinensi et aliis. 83

Jul. 26. „ Ad perpetuam rei memoriam. Sententia divortii inter comitissam Bolonie et A. Portugallie regem, quia ipse rex vivente dicta comitissa, uxore ejus, contraxerat cum regis Castelle filia et bona dotis regine M. restitui jussa citatus rex non comparuerat. — „Presidente". VII. kal. Aug. 357 p. 187 A_1. 84

Aug. 4. „ Abbati et conventui s. Eadmundi Norvicensis dioc. Confirmantur eorum statuta, que inserta habentur. — „Solet annuere". II. non. Aug. 383 p. 198 A_1. 85

(„ 4.) („) Eisdem. Conceditur indulgentia in festo s. Eadmundi. 389 p. 199 A_1. 86

„ 31. „ Patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, nobilibus viris, marchionibus, comitibus. Pro fidelitate, quam habuit Romane ecclesie Philippus de sancta cruce, confirmantur donationes ei facte a Friderico quondam imperatore de terra Baroli, Monopoli. - „Noverit". Anagnie II. kal. Sept. a. 3⁰. (Alexander papa commoratus est hoc die anni 1257 Viterbii, 1256 et 1259 Anagnie) 410 p. 14 B. 87

1256.

Sept. 5. Anagnie. Populo civitatis Idrontine fidelibus nostris. Laudat eorum fidelitatem erga Romanam ecclesiam, confirmat factam donationem a pape legato. — „Quia vestre". non. Sept. 392 p. 200 A_1. **88**

„ 26. „ Priori et conventui Dunelmensis ecclesie. Concedit indulgentiam visitantibus eorum ecclesiam, ubi corpus b. Cuthberti integrum requiescit. — „Sanctorum meritis". VI. kal. Oct. 422 p. 203 A_1. **89**

„ 30. „ Burdegalensi et Auxitano archiepiscopis et universis episcopis per Wasconiam constitutis. Legatum eo transmittit pro animarum profectu, pro bono pacis et negotio terre sancte. — „De supremis". II. kal. Oct. 460 p. 206 A_1. **90**

(„ 30.) („) Magistro Rostando in Wasconie partibus ap. sed. legato. De eodem. 461 p. 207 A_1. **91**

(„ 30.) („) Archiepiscopis, episcopis etc. per Wasconiam constitutis. De eodem. 462 p. 207 A_1. **92**

Oct. 6. „ P. 16,566. Henrico Anglie et Edmundo Sicilie regibus illustribus. Ut rex Anglie solvat pecuniam, quam tenetur pro expensis factis in regno Sicilie. — „Supplicantibus". II. non. Oct. 465 p. 207 A_1. **93**

(„ 6.) („) Archiepiscopo Messanensi. Transmittitur ad regem Anglie pro predicto negotio. 466 p. 207 A_1. **94**

„ 10. „ Magistro et fratribus militie Templi in Accon. Ut comiti Joppen subveniant in defensionem ipsius castri Joppen, cum defensio dicti castri multum conferat ad negotium terre sancte. — „Cum negotium". VI. id. Oct. 406 p. 201 A_1. Patriarche Jerosolym. apost. sed. leg. De eodem cum superiori. 407 p. 202 A_1. Alia manu infra scriptum est: Ex 16 millibus bisant. Sarracenat. depositis apud eos pro subsidio terre sancte mille eo vertant marchas argenti. Circa negotium terre sancte nobilis vir comes Joppen tanto affectu ducitur, quod ipse, sicut accepimus, pro custodia castri Joppen non solum omnia bona sua mobilia et non modicam partem sui patrimonii jam expendit, sed etiam gravi propter hoc premitur sarcina debitorum. **95**

„ 11. „ Universis Christi fidelibus per regnum Francie constitutis. Ut eleemosynis subveniant ecclesie s. Silvani, quo plurimi pauperes morbo, qui dicitur ignis Gehennalis, laborantes conveniunt ibique multi meritis ejusdem s. Silvani sanantur. — „Quoniam". V. id. Oct. 413 p. 203 A_1. **96**

„ 13. „ Abbati et conventui monasterii Casede ord. s. Ben. Claromontensis dioc. Confirmatur, quod habetur insertum privi-

1255—1256.

legium Paschalis. — „Devotionis“. III. id. Oct. anno 2⁰. 137 p. 17 B. **97**

Dec. 20. — Dec. 19. — Teobaldo regi Navarre. Ut a nullo preterquam ab apostolico legato possit excommunicari. 17 p. 130 A_1. **98**

„ 20. — „ 19. — Priori S. Crucis de Ormanario. Recipiuntur in protectionem. 74 p. 134 A_1. **99**

„ 20. — „ 19. — Ad perpetuam rei memoriam. Per plures epistolas statuta quedam pro ecclesiastica libertate in regno Francie defendenda. Religiosi parochis et episcopis multis artibus decimas eripiebant, contra quos edictum. 268 p. 165 A_1. **100**

„ 20. — „ 19. — Priori generali et fratribus Eremitis s. Wilhelmi. Recipiuntur in protectionem. 369 p. 192 A_1. **101**

„ 20. — „ 19. — Eisdem. Ne teneantur ad unionem, quam fecit papa de omnibus Eremitis. 370 p. 193 A_1. **102**

1256.

Dec. 22. Laterani. Clero Monopolitano. Episcopum eorum a se consecratum transmittit. — „Ven.“ XI. kal. Jan. 3 p. 1 B. **103**

„ 22. „ Potestati, consilio et communi Aquilensium fidelibus nostris. Terra Aquilensis in civitatem erigitur et cathedralis sedes Furconensis in ecclesiam ss. Maximi et Georgii de Aquila transfertur. — „Pure fidei“. XI. kal. Jan. 28 p. 3 B. cf. P. 16,740. **104**

(„ 22.) („) Clero civitatis et diocesis Aquilensis. De eodem cum superiori. 29 p. 4 B. **105**

(„ 22.) („) Potestati, consilio et populo Aquilensium. De eodem. 30 p. 4 B. **106**

(„ 22.) („) Episcopo quondam Furconensi, nunc Aquilensi. De eodem. 31 p. 4 B. **107**

— — Instrumentum super processibus habitis per magistrum Albertum de Pernia, notarium domini pape, cum rege Anglie et aliis super conferendo in feudum regno Sicilie. — „In dei nomine“. anno 1256 Alexandri pape anno 2⁰. 262 p. 234 B_2. **108**

1257.

Jan. 5. Laterani. P. 16,652. Cracovien. etc. episcopis. De eodem cum superiori. 7 p. 1 B. **109**

„ 11. „ Capitulo generali Cartusiensis ordinis confirmat datam sententiam ab archiepiscopo Viennensi ejusque collegis super quibusdam dissensionibus ortis inter fratres Cartusienses super modo celebrandi capitulum generale et aliis articulis, que sententia habetur inserta. — „Iis que digne“. III. id. Jan. 78 p. 9 B. **110**

„ 29. „ P. 16,700. Fratri Bartholomeo. De eodem. 308 p. 41 B. **111**

1257.

Febr. 9. Laterani. Magistro et fratribus Hospitalis s. Antonii Viennensis dioc. Ut officio ecclesie Romane utantur. — „Justis". V. id. Febr. 95 p. 12 B. **112**

„ 9. „ Cazia comiti clerico Aretino, a Conrado, nato Friderici imperatoris, in Cusentinum episcopatum intrusus et in mortis articulo ab excommunicatione absolutus, iterum a papa absolvitur et ad ecclesiastica beneficia, etiam episcopalem sedem habilitatur. — „Sedes apostolica". V. id. Febr. 97 p. 12 B. **113**

„ 13. „ P. 16,731. Danieli regi Ruscie timorem divini nominis et amorem. In memoriam revocat, quomodo alias baptismo suscepto regis dignitatem ab ecclesia receperit, postea vero iterum lapsum hortatur, ut resipiscat, alioquin excommunicationem minatur. — „Inter alia". id. Febr. 100 p. 14 B. Scriptum de eo Olomucen. etc. episcopis. cf. P. 16,732. **114**

„ 13. „ Abbati Cisterciensi. Commendatur ordo Cisterciensis ejusque privilegia confirmantur.—„Plantatus." id. Febr. 124 p. 15 B. **115**

„ 22. „ P. 16,744. Decano et capitulo Briocensi. Transmittit eorum episcopum Radulphum a se consecratum. — „Debitum". VIII. kal. Martii. 140 p. 18 B. Scriptum clero civitatis Briocensis. Comitisse Marchie et Engolisme. Ut dicto episcopo restituat episcopalia bona. Officiali Treocorensi. Ut compellat dictam comitissam restituere. **116**

Mart. 16. „ P. 16,784. Episcopo Zwerinensi. De eodem. 258 p. 34 B. **117**

Maji 9. „ P. 16,332 (1256 VI. id. Apr.); Dat. Laterani VII. id. Maji. 210 p. 29 B. **118**

„ 12. „ P. 16,842. Ad perpetuam memoriam futurorum. Quod compositio emissa ab ipsomet papa pro pace magistrorum et scholarium Parisiensium non obstantibus quibuscunque factis oppositionibus in suo robore perseveret. — „Cum frequens". IIII. id. Maji. 318 p. 42 B. **119**

1256—1257.

Dec. 20. — Maji. 16. Laterani. Camerario ecclesie Dertulensis. Ut in ecclesia et diocesi Valentina de novo ad cultum fidei redacta ecclesiastice persone re(cipiantur. Lacuna. — „Quia civitas". Laterani. 152 p. 19 B. **120**

1257.

Jun. 10. Viterbii. Dat. Viterbii. Lacuna. IIII. id. Jun. 343 p. 45 B. **121**

„ 13. „ Priori generali et fratribus Heremitarum ordinis s. Augustini. Confirmat declarationem factam super quodam articulo contento in formula unionis omnium Eremitarum sub uno ordine s. Augustini. — „Iis que nostri". id. Jun. 357 p. 46 B. **122**

1257.

Jul. 18. Viterbii. Episcopo Cameracensi. Privilegia, alias concessa ecclesiis regni Francie, ob defensionem jurium suorum a secularium infestatione ad ecclesiam Cameracensem extenduntur. — „Sedes apostolica". XV. kal. Aug. 514 p. 63 B. **123**

„ 20. „ P. 16,936. Magistro Gottifrido. Mittitur pro eodem negotio. 640 p. 82 B. **124**

„ 31. „ Generali rectori et fratribus de Penitentia Jesu Christi. Recipiuntur in protectionem. — „Religiosam". II. kal. Aug. 539 p. 67 B. **125**

Aug. 13. „ Episcopo Ratisponensi. Ne possit alienare quedam castra, que alias a Dipoldo marchione fuerant occupata, tum ab ejus successore Bertholdo ejus ecclesie restituta. — „Ad audientiam". id. Aug. 555 p. 69 B. **126**

„ 20. „ Universis episcopis Brittanie. Confirmat alias editam constitutionem pro ecclesiastica libertate inter episcopos Trecorenses et comitem Britannie. — „Dudum". XIII. kal. Sept. 597 p. 75 B. Episcopo Cenomanensi. De eodem. **127**

Sept. 19. „ Preposito et capitulo Salzburgensi. Privato ea ecclesia Philippo confirmat aliam electionem ab ipsis factam. — „Ex commissa". XIII. kal. Oct. 625 p. 80 B. cf. P. 17,008. **128**

Oct. 23. „ Generali et ceteris prioribus et fratribus Heremitarum ordinis s. Augustini. Confirmatur instrumentum unionis fratrum de ordine Pauperum catholicorum cum Eremitis s. Augustini. — „Justis petentium." X. kal. Nov. 702 p. 92 B. **129**

„ 27. „ Capitulo Connerensi. Transmittit eorum episcopum a se consecratum. — „Cassata". VI. kal. Nov. 682 p. 89 B. In e. m. clero civitatis. **130**

„ 27. „ Illustri regi Anglie. Ut episcopum Connerensem benigne recipiat. — „Divine". VI. kal. Nov. 685 p. 90 B. **131**

Nov. 3. „ Episcopo Pampilonensi. Ut Theobaldum, Navarre regem, coronet, perpulchre de ipsius coronationis signatura disserit. — „Quoniam". III. non. Nov. 688 p. 90 B. cf. P. 17,054. **132**

„ 25. „ P. 17,084. Scriptum de eo Campanie Maritimeque rectori. 735 p. 100 B. **133**

Dec. 10. „ Archiepiscopis, episcopis etc. Privilegia quedam indulta fratribus Hospitalis ecclesie s. Marie de monte Cenisio ord. s. Aug. Taurinensis dioc. — „Cum dilectis". IIII. id. Dec. 753 p. 102 B. **134**

1256—1257.

Dec. 20. — Dec. 19. — Abbati s. Nichasii. Conceditur indulgentia singulis

1256—1257.

diebus 645 p. 84 B. ep. 643 alia eisdem indulgentia concessa. 135

Dec. 20. — Dec. 19. — Priori et fratribus Cameldulensibus Aretine dioc. Fit mentio de quadam compositione nuper facta inter commune Pisanum et ecclesiam Romanam. 712 p. 94 B. 136

„ 20. — „ 19. — Remensi, Senonensi archiepiscopis pro constructione sumptuose fabrice s. Nichasii. 667 p. 87 B. 137

1257.

Nov. 21. Viterbii. Nobilibus viris Zacharie, Nicolao. Commendatur eorum fidelitas ecclesie Romane. Donantur eis bona Ayroldi de Ripalta, qui civitatem Brundusinam prodidit in manibus Manfredi et multos probos viros, inter quos extitit eorum pater, interfici procuravit. — „Consuevit". XI. kal. Dec. 82 p. 129 B_1. 138

„ 22. „ Nobili viro Raynaldo et Joanni, nepotibus nostris, dominis castri Genne, heredibus quondam Philippi patris nostri, domini ejusdem castri. Confirmat concessionem eis factam in feudum a monacis Sublacensibus anno domini 1241. — „Iis que sunt". X. kal. Dec. 778 p. 106 B. 139

(„ 22.) („) Eisdem de eodem. 779. 780 pag. 108 B. 140

(„ 22.) („) Eisdem 789 B. 141

Dec. 22. „ Engelberto de Valkenborg Archidiacono Leodiensi. Recipitur in capellanum pape. — „Meritis". XI. kal. Jan. 39 p. 120 B_1. 142

1258.

Febr. 13. Viterbii. Archiepiscopo Tarentasiensi. Ecclesie s. Salvatoris apud Lavaniam, quam ejus predecessor Innocentius in terra nativitatis sue a fundamentis erexerat, prioratum de Cuturno confert cum alio prioratu eis, ab eodem precedessore collato. — „Solet". id. Febr. 56 p. 124 B_1. De eodem per quatuor sequentes epistolas. 143

„ 23. „ Illustri regine Francorum. Ne per quascumque litteras, seu obtentas seu obtinendas, valeat illi prejudicari in successione paterna comitatus Provincie. — „Quanto". X. kal. Febr. 62 p. 125 B_1. 144

„ 27. „ Ad perpetuam rei memoriam. Sententia irritationis matrimonii contracti inter reginam Cypri et natum Joannis, domini de Azoto, per quam ipsa regina ad dominium ipsius regni restituitur. — „Presidentes". III. kal. Mart. 87 p. 131 B_1. 145

Apr. 11. „ Precentori Senonensi. Committit ei visitationem ecclesiarum regni Francie ad Romanam ecclesiam immediate pertinentium et in quibus rex Francie jus obtinet patronatus. — „Licet". III. id. Apr. 96 p. 133 B_1. 146

1258.

Apr. 13. Viterbii. P. 17,237. — „Cum in te.“ 94 p. 133 B_1. **147**

„ 17. „ Abbati Floris et universis ejusdem ordinis abbatibus. Confirmantur eorum statuta et privilegia. — „Attendentes“. XV. kal. Maji. 221 p. 153 B_1. **148**

„ 27. „ Episcopo Tricaricensi (Tucaricensi MS.). Ut inquirat contra episcopum Ratisponensem de nefandissimo vitio infamatum. — „Post multa“. V. kal. Maji. p. 136 B_1. **149**

Jun. 13. „ Decano ecclesie Lincolniensis. Ut excommunicet Io. Walram, qui olim ecclesie vacantis ejusque cure commissa bona dissipavit contra decretum in ecclesiarum Anglicanarum favorem, ab ipso rege editum. — „Sua nobis“. id. Jun. 208 p. 150 B_1. **150**

„ 24. „ De Marola et de Campagnola monast. abbati. Statuta quedam pro eorum pace servanda. — „Habetur“. VIII. kal. Jul. 168 p. 143 B_1. **151**

Juli 3. „ P. 17,331: Scriptum de eo Vicentino et Tervisino episcopis 170 p. 144 B_1. **152**

„ 6. „ Potestati, capitaneo, consilio et populo Pisanorum. Mandat, ut pacem revocent omnino cum Januensibus, inter quos gravis fuerat discordia et in manu pape fuerat conpromissum. — „Inter alia“. II non. Jul. 173 p. 144 B_1. cf. P. 17,333. Potestati, capitaneo, consilio et populo Januensium. De eodem. Consulibus Venetis, Pisanis et Januensibus in ultramarinis partibus. De eodem. P. Hospit. s. Jo. de eodem. **153**

Dec. 1. Anagnie. Dilecto filio Philippo nato regis Francie. Dispensat inter ipsum et natam regis Aragonum super consanguinitate. — „Attenta“. kal. Dec. 252 p. 159 B_1. **154**

„ 11. „ Episcopo Forojuliensi. Post cessionem fratris Guillelmi generalis rectoris fratrum de Penitentia eligitur eorum rector generalis frater Raymundus Athanulphus. — „Sua nobis“. III. id. Dec. 287 p. 164 B_1. **155**

1257—1258.

Dec. 20. — Dec. 19. — Generali, priori et fratribus Eremitis ord. s. August. Donatur eis ecclesia 84 p. 130 B_1. **156**

„ 20. — „ 19. — Abbati et conventui monasterii s. Marie de Gloria Anagnin. Floren. ord. Donatur eis ecclesia quedam. 83 p. 130 B_1. **157**

1259.

Jan. 12. Anagnie. Rectori et fratribus Hospitalis de Ponte populi. Revocat privilegium exemptionis eis ab Alexandro III. concessum. — „Felicis recordationis“. II. id. Jan. 28 p. 188 B_2. **158**

1259.

Febr. 6. Anagnie. P. 17,468. — „Grandis". Dat. Anagnie VIII. id. Febr. 32 p. 190 B_2. 159

„ 13. „ Illustri regi Navarre concedit, ut de novo ecclesiam construat aqud Igniacum Suessionensis dioc., in qua jus patronatus obtineat. — „Ex parte tua". id. Febr. 37 p. 191 B_2. 160

„ 28. „ Fratri Walasco de ord. Min. Ut regem Anglie adeat acturus apud eum, ut electus Wintoniensis, qui ab ecclesia sua se absentare fuerat coactus, valeat ad eandem reverti. — „Dil. fil." II. kal. Martii. 85 p. 200 B_2. 161

Mart. 11. „ P. 17,510. Magistro Jacobo de Castellione consanguineo et capellano nostro. Instituit eum archiepiscopum Reginensem. — „Evidenter". V. id. Mart. 132 p. 209 B_2. 162

„ 13. „ Archiepiscopo Cusentino. Ut accedat reformationis gratia ad monasterium Virziliacense enormiter deformatum expulsis etiam per potentiam laicalem inde monacis. — „Post diversas". III. id. Mart. 79 p. 199 B_2. 163

„ 23. „ Episcopo Senensi. Contra potestatem, capitaneum et consiliarios Senenses, qui multa ediderant statuta contra ecclesiasticam libertatem. — „Cum summus." X. kal. Apr. 88 p. 201 B_2. 164

Maji. 15. „ Nobili mulieri M. comitisse Flandrie. Ne a quoquam legato, dum in viduitate permanserit, possit excommunicari. — „Exigentibus". id. Maji. 140 p. 210 B_2. Decano, ut defendant jura dicte M. 165

Jun. 22. „ Johanni s. Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ecclesie s. Grisogoni trans Tyberim curam gerenti. Confirmat initam concordiam et instrumentum, quo declaratur, ecclesiam s. Salvatoris de Curtibus trans Tyberim eidem ecclesie s. Grosogoni esse subjectam. — „Illa salubrii". X. kal. Jul. 126 p. 206 B_2. 166

Sept. 17. „ Capitulo Pampilonensi. Irritat compositionem factam inter episcopum Pampilonensen et regem Navarre, que erat in prejudicium ecclesie Pampilonensis. — „Justis". XV. kal. Oct. 187 p. 219 B_2. 167

Oct. 11. „ P. 17,676. Anagnie VI. id. Oct. 196 p. 225 B_2. 168

1258—1259.

Dec. 20. — Dec. 19. (Anagnie.) Capitulo Esculano. Preficit eis in pastorem fratrem Raynaldum ord. Min. 62 p. 195 B_2. 169

1260.

Jan. 5. Anagnie. P. 17,737. Fratri Alberto de ordine fratrum Predicatorum lectori Coloniensi. De eodem cum superiori. 21 p. 239 B_3. 170

Febr. 27. „ P. 17,796. Anagnie IIII. kal. Mart. 26 p. 240 B_2. 171

1260.

Apr. 12. Anagnie. Magistro et fratribus militie s. Jacobi. Indulget, ut unus ejus ordinis miles semper ad incidendum in mensa pontificis deputetur. — „Devotionis". II. id. Apr. 38 p. 243 B_3. **172**

Maji 31. „ P. 17,878. — „Mirantes". Dat. Anagnie II. kal. Jun. 67 p. 247 B_3. **173**

Jul. 3. „ Ad futuram rei memoriam. De jurisdictione episcoporum Grecorum et Latinorum in regno Cypri. — „Cultus". Anagnie V. non Jul. 121 p. 257 B_3. **174**

„ 15. „ Nobili viro Henrico comiti de Chastel et nobili mulieri nate Ludovici comitis de Ottingen. Pro bono pacis super consanguinitate dispensat. — „Licet contractum". id. Jul. 95 p. 252 B_3. **175**

1259—1260.

Dec. 20. — Dec. 19. — Habetur ex ea, quod ecclesia s. Salvatoris de Lavania fuit a fundamentis erecta ab Innocentio papa hujus Alexandri predecessore. 29 p. 241 B_3. **176**

URBANUS IV. 1261—1264.

Eligitur 1261 Aug. 29. Viterbii. — Coronatur 1261 Sept. 4. Viterbii. — Moritur 1264 Oct. 2. — Vacatio 1264 Oct. 3 — 1265 Febr. 5.

1261.

Sept. 5. Viterbii. P. 18,133: Dat. Viterbii non. Sept. 1 p. 1 A. In e. m. universis archiepiscopis et eorum suffraganeis. Ut supra. Regi Francie illustri. De eodem. **177**

„ 17. „ Ad perpetuam rei memoriam. Irritat concessionem factam ab ejus predecessore fratribus Hospitalis s. Jo. Jerosolymitani, pro quo ipse in minoribus constitutus Rome morabatur. — „Romana". XV. kal. Oct. 13 p. 4 A. **178**

„ 24. „ Priori et capitulo secularis ecclesie s. Jo. in Senno Imolensis dioc. propter interfectos duos abbates ejusdem monasterii ordinis s. Benedicti, alii fratres ejiciuntur et seculares introducuntur. — „Iis que". VIII. kal. Oct. 5 p. 1 A. **179**

Oct. 9. „ Magistro et fratribus Hospitalis Jerosolymitani in Alemannia. Revocat statutum, quo Maguntinus archiepiscopus in provinciali concilio decreverat, ne jus patronatus religiosis personis a secularibus posset conferri. — „Exigentibus". VII. id. Oct. 18 p. 5 A. **180**

„ 11. „ P. episcopo Tripolitano. Quod pro castro Marini fuit incarceratus et coactus dare juramentum dimittendi dictum castrum,

1261.

absolvitur ab hujusmodi juramento. — „Ad audientiam". V. id. Oct. 8 p. 3 A. **181**

Nov. 13. Viterbii. Ministro et fratribus ordinis Captivorum. Ut non obstante eorum regula, quod proventuum ipsorum una pars sustentationi fratrum, altera pauperum usui, tertia redemptioni captivorum assignetur, possint omnes dictos proventus in fratrum ac pauperum sustentationem erogare. — „Provisionis". id. Nov. 20 p. 6 A. **182**

„ 13. „ R. s. Angeli diacono cardinali. Committitur ejus cure domus hospitalis s. Thome in formis de Urbe ord. s. Trinitatis et Captivorum, ab ejus avunculo Innocentio III. de bonis ecclesie Romane fundata. — „Inter alias." id. Nov. 25 p. 7 A. **183**

Dec. 5. „ P. 18,177. — „Inter alias". Viterbii id. Nov. 25 p. 7 A. **184**

„ 20. „ P. 18,190. Eidem (Philippo primogenito regis Francie). Idem conceditur, cum verbum dei audiet. 28 p. 7 A. **185**

„ 20. „ Regine Francie. Idem conceditur cum superioribus 29 et 30 p. 8 A. **186**

(„ 20.) („) Regine Navarre. Idem conceditur. 31 et 32 p. 8 A. **187**

(„ 20.) („) Regi Navarre. Idem conceditur. 33 et 34 p. 8 A. **188**

1262.

Jan. 19. „ Episcopo Silvanectensi. Contra Henricum monachum scandalosum. — „Dil. fil." XIIII. kal. Febr. 49 p. 11 A. **189**

„ 20. „ Decano et capitulo Cicestrensi. Concedit, ut corpus Ricardi, olim Cicestrensis episcopi, congrua temporis oportunitate captata convocatis clero et populo cum debita solempnitate ad locum transferant ydoneum et diem translocationis perpetuis temporibus celebrandum decernit festivis. — „Laudabilis et longeve observantie." C. 49 fol. 120 cf. P. 18,232. **190**

Mart. 14. „ Agneti abbatisse monasterii s. Mauri Virdunensis ord. s. Ben. Significat eam a se, cum Virdunensi ecclesie preesset, fuisse electam abbatissam; ob id eximit dictum monasterium ab ordinario. — „Dudum". II. id. Mart. 58 p. 14 A. **191**

„ 20. „ Abbati monasterii s. Marie montis virginis. Concedit usum baculi, ubi multa de significatu baculi edisserit. — „Ad hoc". XIII. kal. Apr. 71 p. 17 A. **192**

„ 20. „ Iisdem. Recipiuntur in protectionem. 72 p. 17 A. **193**

„ 28. „ Decano et capitulo Cicestrensi. Concedit, ut diem translationis corporis s. Riccardi festive quotannis celebrent. — „Laudabilis". V. kal. Apr. 70 p. 17 A. **194**

1262.

Apr. 5. Viterbii. P. 18,267. — „Si ad sollicitudinem". Viterbii non. Apr. 85 p. 19 A. 195

Jun. 9. „ Archiepiscopo Nidrosiensi. Quid ordinaverit predecessor Alexander contra Tartaros, Christianorum populos devastantes. Quod demum ipse eorum nuntios pro eodem negotio benigne recepit, licet non plene deliberaverit, quid sit agendum; hortatur eosdem ad prosequendum cum omni diligentia hujusmodi negotium contra Tartaros. — „Solium". V. id. Jun. 100 p. 23 A. 196

(„ 9.) („) Illustri regi Norwegie. De eodem. 101 p. 24 A. cf. P. 18,345. 1262 Jun. 2. 197

„ 9. „ Episcopo Agennensi. Ut in regno Francie decimas colligat pro subventione Constantinopolitani imperii. — „Crebra." V. id. Jun. 131 p. 36 A. 198

(„ 9.) („) Eidem. De eodem. 132 p. 36 A. 199

(„ 9.) („) Eidem. De eodem. 133 p. 36 A. 200

Jul. 20. „ Archiepiscopo Tarantasiensi. Contra Petrum de Sabaudia, castrum de Martiniaco ipsius ecclesie Tarantasiensis obsidentem. — „Ad audientiam." XIII. kal. Aug. 116 p. 29 A. 201

Aug. 31. Apud Montem Flasconem. Abbati monasterii Villariensis Cist. ord. Quid sit agendum de pecunia, quam H. dux Lothoringie in extremis agens, assumpto crucis signo in ipsius terre sancte subsidium legavit. — „Ad nostram". II. kal. Sept. a. 2°. 123 p. 33 A. 202

Oct. 6. „ Potestati Senensi spiritum consilii senioris. Quod ipse papa tentavit sopire discordias cum ipsis ac de duritie ac malitia Petri Scotti ejusque sociorum, cum quibus specialiter ratione quarundam pecuniarum concordare curavit. — „Mater vestra". II. non. Oct. a. 2°. 6 p. 2 B. 203

„ 21. Apud Urbem veterem. P. 18,415. Eidem (L. illustri regi Francorum) de eodem. 9 p. 3 B. 204

„ 25. „ Magistro Alberto notario nostro. Ut cum Carolo, Provincie comite, tractet de negotio regni Sicilie, cum quo tamen nihil firmet nisi ipso papa facto certiore. — „Scripsisti". VIII. kal. Nov. 8 p. 2 B. 205

Nov. 29. „ Nobili viro Guidoni marchioni et aliis, qui Guelfi vulgariter appellantur, civitatis Castelli ecclesie Romane devotis. Recipiuntur in protectionem sedis apostolice. — „Devotionis". III. kal. Dec. 167 p. 57 B. 206

Dec. 9. „ G. electo Jerosolymitano. De translatione ejus ab episcopatu Agennensi ad ecclesiam Jerosolymitanam, habetur in ea, quod ipse papa longas ibidem, dum in minoribus esset, duxit moras

1262.

pro negotiis ecclesie Romane. — „Presidentibus olim nobis". V. id. Dec. 30 p. 9 B. **207**

Dec. 31. Apud Urbem veterem. Capitulo et clero civitatis et diocesis Coloniensis. Confirmat ab ipsis factam electionem de Engelberto archiepiscopo, quem etiam suis manibus consecrat. — „Plantans". II. kal. Jan. a. 2°. 64 p. 21 B. In e. m. ipsi archiepiscopo et aliis. **208**

1263.

Jan. 5. Apud Urbem Veterem. Magistro Miloni forisdecano Privatensi. Quidam cives Senenses resipiscentes absolvuntur ab excommunicatione, quam incurrerant adherentes Manfredo. — „Dudum". non. Jan. 37. p. 12. B. In e. m. eidem de pluribus aliis civibus Senensibus. **209**

„ 12. „ Episcopo Bethleemitano apost. sedis legato. Condolet ejus pressuris et ut ecclesiam Jerosolymitanam defendat. — „Dum". II. id. Jan. 54 p. 19 B. **210**

„ 20. „ Potestati, consilio et communi Januensium. Quod recedant a confederatione Paleologi, pro qua fuerant excommunicati et redeant ad mandatum ecclesie. — „Post frequentes". XIII. kal. Febr. 44 p. 15 B. In e. m. archiepiscopo Januensi. **211**

Febr. 1. „ Illustri regi Francorum. Ut in regno suo denarium dei colligendum diligenter curet pro terre sancte subsidio. — „Quia novimus". kal. Febr. 45 p. 15 B. In e. m. regi Navarre. **212**

„ 13. „ Electo Ebredunensi. Confirmat donationes et privilegia, ei facta ab Willelmo rege Romanorum anno 1251, quorum tenor instrumenti habetur insertus. — „Ecclesie tue". id. Febr. 196 p. 62 B. **213**

Mart. 6. „ Preposito et capitulo ecclesie Valvensis. Preficitur eis in episcopum frater Jacobus de ordine Predicatorum. — „Rationis". II. non. Mart. 81 p. 29 B. **214**

„ 6. „ Conditiones et pacta habita inter Romanam ecclesiam et cives Senenses. Redeuntes ad ecclesie fidelitatem recedendo a Manfredo benigne recipiuntur. Omisso initio. II. non. Mart. 137 p. 47 B. **215**

„ 12. „ P. 18,501. Egidio archiepiscopo Tyrensi. De colligendis legatis, datis pro terra sancta. — „Inter occupationes". IV. id. Mart. 237 p. 79 B. Ab hac epistola usque ad 257 diverse habentur eidem pro eodem negotio concesse facultates et privilegia. **216**

Apr. 24. „ Capitulo et clero Narbonensi. Confirmat ab ipsis factam electionem de suo archiepiscopo, quem suis manibus papa consecrat. — „Suscepti". VIII. kal. Maji. 86 p. 30 B. **217**

1263.

„ 30. „ Riccardo de Ferentino. Ut quosdam de regno Sicilie, qui ad civitatem Reatinam confugerunt et ibi turbationes in ecclesiam et regem Sicilie machinantur, inde exbanniri faciat. — „Percepto". III. kal. Jun. p. 100 B. **1254**

(„ 30.) („) Potestati Reatino. De eodem cum superiori. p. 100 B. **1255**

Jun. 1. „ Andree Spiliati. Habetur ex ea, quod Johannes de Epa ad Carolum principem Salernitanum accessit, postmodum in Campaniam 16. die Maji est reversus. — „Per literas". kal. Jun. p. 99 B. **1256**

„ 3. „ Prelatis regni Sicilie. Ut ad sublevandas oppressiones Caroli regis Sicilie decimas eidem attribuant contra Petrum,

1284.

quondam regem Aragonie. — „Solebat". III. non. Jun. 18 p. 239 A_6. 1257

(Jun. 3.) (Apud Urbem veterem.) Gerardo episcopo Sabinensi apost. sedis legato. Ut prelatos regni Sicilie cogat ad solvendas dictas decimas. 19 p. 240 A_6. 1258

(„ 3.) („) Prelatis comitatus Provincie. De solvendis eisdem decimis. 20 p. 240 A_6. 1259

(„ 3.) („) B. archiepiscopo Arelatensi. Ut prelatos comitatus Provincie cogat ad solvendas dictas decimas. 21 p. 240 A_6. 1260

„ 4. „ Gerardo episcopo Sabinensi apost. sedis legato. Ut per se ac per alios crucem predicet contra Petrum, quondam regem Aragonie. — „Solebat". II. non. Jun. 22 p. 240. In e. m. Bernardo episcopo Portuensi apost. sedis legato (P. 22,149), priori Predicatorum et ministro Minorum ordinis provincialibus Sardinie et Corsice (P. 22,153). 1261

„ 11. „ Episcopo Lucano. Contra Bonavursum et alios mercatores, qui citati, ut pape presentie se presentarent, reddituri rationem de decimis terre sancte, comparere contempserant. — „Olim". III. id. Jun. p. 100 B. 1262

„ 21. „ Potestati, capitaneo et communi Perusinorum. Resipiscentes plenaria facta satisfactione absolvuntur ab excommunicationibus et penis, quas incurrerant eo, quod Fulginatenses oppugnabant. — „Contigit". XI. kal. Jul. 6 p. 228 A_6. In e. m. Angelo de Perusio ordinis Minorum P. 22,162. 1263

Jul. 26. Apud Castrum Plebis. Sifrido marchie Anconitane rectori. Mandat, ut, cum G. rector provincie Romaniole sit cum generali exercitu processurus contra Urbinates, ecclesie rebelles, etiam ipse inducat homines sibi subditos, ut ad idem se accingant. — „Cum sicut". VII. kal. Aug. 64 p. 102 B. 1264

Sept. 11. „ Galtero de Fontana. In Romaniolam mittitur, ut animet milites contra Urbinates ecclesie rebelles. — „Nuper". III. id. Sept. p. 108 B. 1265

„ 11. „ Guillelmo Duranti. Guillelmus Cheni constituitur capitaneus generalis contra Urbinates. — „Laudanda". Dat. ut supra. p. 109 B. 1266

(„ 11.) („) Guillelmo Cheni. De eodem cum superiori. — „Laudanda". p. 109 B. 1267

Oct. 15. Perusii. P. 22,181: — „Transmisse". Dat. Perusii id. Oct. p. 109 B. 1268

Nov. 9. „ Hominibus civitatis s. Leonis spiritum consilii sanioris.

1284.

Arguit eos, quod suum episcopum ceperint et carceri manciparint; mandat, ut eundem absolvant. — „Presumptuose". V. id. Nov. p. 110 B. **1269**

Nov. 11. Perusii. Stephano et Mabilie de Sabello civibus Romanis. Dispensatur inter eos super consanguinitate. — „Cum summus". III. id. Nov. 33 p. 205 A_5. **1270**

„ 13. „ Christophoro de Tholomeis. Fit collector decimarum pro terra sancta in Lombardia in locum Venture collectoris defuncti. — „Ad felicem". id. Nov. 35 p. 206 A_5. **1271**

„ 18. („) Processus habitus in die dedicationis basilice principis apostolorum. Contra Petrum regem Aragonie et Siculos. Innovantur excommunicationes. — „De factiose". 8 p. 229 A_6. **1272**

„ 18. („) Processus contra Conradum de Antiochia. Ut supra. 9 p. 232 A_6. **1273**

„ 26. „ Theodorico. Subrogatur Raynerio de Orio in colligendis decimis pro terra sancta in Treverensi etc. provinciis. — „De statu". VI. kal. Dec. 39 p. 208 A_5. **1274**

Dec. 21. „ Episcopo Spoletano. Ut Spoletanos resipiscentes absolvat ab excommunicatione, quam incurrerant persequendo Fulginatenses contra pape mandatum. — „Contigit hactenus". XII. kal. Jan. p. 111 B. **1275**

„ 21. „ Eidem. Ut eosdem Spoletanos absolvat ab aliis quoque excommunicationibus, quas incurrerant. — „Ex parte". Dat. ut supra. p. 111 B. **1276**

„ 21. „ Electo Iporiensi Campanie Maritimeque rectori. Habetur insertum, quod, cum Conradus de Antiochia foveatur a subditis monasteriorum Farfensis et Sublacensis, fuit a papa provisum. — „Cum sicut". XII. kal. Jan. p. 112 B. **1277**

„ 21. „ Eidem. Cum Conradus de Antiochia in sua contumacia perduret, mandat, ut procedat contra ejus fidejussores, qui pro dicto Conrado ecclesie Romane se obligarunt. — „Cum Conradum". XII. kal. Jan. p. 113 B. **1278**

„ 23. „ Birgero filio regis Suetie et Margarite filie regis Dacie. Pro bono pacis dispensat super consanguinitate, ut possint matrimonium contrahere. — „Cum summus". X. kal. Jan. 51 p. 211 A_5. cf. P. 22,189. **1279**

„ 24. „ Electo Iporiensi, Campanie Maritimeque rectori. Ut inquirat, num verum sit, quod Adinulfus Mathie transmisit armatorum manum ad Conradum de Antiochia, cum regnum Sicilie aggredi tentaverit. — „Ad nostrum". VIIII. kal. Jan. p. 112 B. **1280**

1284.

(Dec. 24.) (Perusii.) Eidem. Ut procedat ad exactionem penarum ab Adinulfo. — „Nuper“. p. 113 B. **1281**

— — Episcopo Ferrariensi. Ut census debitos ecclesie Romane a communi Ferrariensi exigendos curet. — „De sincere“. p. 80 B. **1282**

— — Andree Spiliati. Significat ei, quod Nicolaus de Comite, civis Romanus, ad papam accedens fuit absolutus ab excommunicatione, quam incurrit eo, quod Adinulfo favit; mandat, ut ab eo recipiat cautiones, quas juravit dare de satisfaciendo ipsius pape mandatis. — „Cum dilectus“. p. 87 B. **1283**

— — Sifrido rectori Marchie. De condemnationibus factis in Marchia. p. 90 B. A pag. 90 per plures literas et paginas diversis mercatoribus de decimis solutis facit quitantiam. **1284**

— — Episcopo Reatino. Carolo principi Salernitano, in Siciliam rebellem transfretare paranti, pecuniam quandam precipit mutuari. — „Cum dilecto“. p. 94 B. **1285**

— — Nicolao. Quod intrusos in prebendas basilice de Sancta Sanctorum de Urbe non foveant. p. 103 B. **1286**

— — Priori secularis ecclesie s. Stephani in ponte Florentino. Contra Siffum et alios mercatores, qui contempserunt ad pape presentiam venire citati, ut de decimis terre sancte rationem redderent. — „Olim“. p. 104 B. **1287**

— — Eidem. Ut citet pro simili causa ad pape presentiam Florensem Falconerii et alios. — „Volumus“. p. 104 B. **1288**

— — Bernardo camerario. Ut Carolo regi Sicilie pecuniam mutuandam curet. p. 105 B. **1289**

— — Thome Spiliati. De mutuo dato Carolo regi Sicilie. p. 107 B. **1290**

— — Friderico electo Yporiensi. Constituitur rector Campanie et Maritime. — „Inter alias“. p. 107 B. **1291**

— — Odoni Gaytano civi Pisano. Contra Siffum et alios mercatores, qui se pape conspectui non representarunt pro reddenda ratione de decimis terre sancte. — „Olim“. p. 107 B. **1292**

1285.

Jan. 3. Perusii. Jacobo regi Majoricarum. Ad ipsius instantiam concedit ei decimas quasdam regni sui pro muniendis castris ac civitatibus regni, ne a Petro, quondam rege Aragonie, occupentur, cum ipse

1285.

rex Majoricarum Philippo, regi Francorum, et ecclesie adhereat. — „Affluentis devotionis". III. non. Jan. 57 p. 214 A_5. cf. P. 22,208. In e. m. archiepiscopo Narbonensi. **1293**

Jan. 9. „ P. 22,199: Ducibus de Opol. De dictis censibus solvendis. Ducibus Polonie. De eodem. p. 117 B. cf. P. 22,198. Duci Cracovie. De eisdem casibus. p. 118 B. Archidiacono Gneznensi. De eisdem. **1294**

„ 9. „ P. 22,199: Episcopis, ducibus etc. De eodem denario (s. Petri in Polonia et Pomorania) solvendo. epp. 71—75. p. 222 A_5. **1295**

„ 23. „ Episcopo Anteradensi. De discordiis inter ipsum et Paulum, Tripolitanum episcopum. — „Ad querelam". X. kal. Febr. 64 p. 220 A_5. **1296**

„ 27. „ Archiepiscopis, episcopis etc. presentes literas inspecturis. Ut deferentes de partibus ultramarinis decimas terre sancte libere transire permittant. — „Cum dilecti". VI. kal. Febr. p. 115 B. **1297**

„ 29. „ Guardiano fratrum Minorum civitatis Castelli. Mandat, ut cives Castelli resipiscentes absolvat ab excommunicatione, quam incurrerant persequendo Fulginatenses et recipiendo Ballionum, militem Perusinum, ecclesie rebellem. — „Capitanei". IIII. kal. Febr. p. 115 B cf. P. 22,206. **1298**

Febr. 3. „ Philippo de Lavena rectori Spoleti. Mortuo Carolo rege Sicilie, ne tumultus exoriatur in castro Gonisse, constituitur ejus castri rector. — „Ex parte". III. non Febr. p. 115 B. **1399**

„ 3. „ Sifrido de Anagnia. Contra quosdam, qui mortuo Carolo rege Sicilie ad depressionem ejus heredum intendunt. — „Nuper". Dat. ut supra. p. 116 B. **1300**

„ 3. „ Universis hominibus civitatis Andrie. Quod Conradus de Antiochia regnum Sicilie invadit, contra quem mittitur a papa Johannes de Epa, cui hortatur ut assistant et opem ferant. — „Letamur". III. non. Febr. p. 116 B. cf. P. 22,207. **1301**

(„ 3.) („) Justitiario Aprutii. De eodem. p. 117 B. Amelio. De eodem. **1302**

„ 3. „ Johanni de Epa. Transmittitur contra Conradum de Antiochia. — „Mirantes". Dat. ut supra. p. 117 B. cf. P. 22,207. **1303**

(„ 3.) („) Electo Yporiensi. De eodem. p. 117 B. **1304**

„ 16. „ Gerardo episcopo Sabinensi et comiti Atrebatensi, bajulis

1285.

regni Sicilie, per Romanam ecclesiam constitutis. Cum Carolus rex Sicilie obierit et ejus primogenitus Carolus in manibus rebellium detineatur, constituuntur hi duo bajuli ejusdem regni, qui illud administrent. — „Romane matris". XIIII. kal. Mart. 24 p. 242 A_6. cf. P. 22,213. **1305**

Febr. 21. Perusii. P. 22,215: Sequitur ibidem tenor cedule transmisse de Urbinatibus. p. 119 B. **1306**

„ 27. „ Gerardo episcopo Sabinensi et comiti Atrebatensi, bajulis regni Sicilie, per Romanam ecclesiam constitutis. Providetur eis de mille unciis auri. — „Per nuntios". III. kal. Mart. 25 p. 242 A_6. P. 22,217. **1307**

„ 28. „ P. 22,218: In e. m. episcopo Spoletano pro hominibus castri Montis Falconis Spoletane dioc. p. 119 B. **1308**

Mart. 1. „ Gerardo episcopo Sabinensi. Transmittitur in regnum Sicilie pecunia pro defensione ejusdem regni. — „Auditis". kal. Mart. p. 120 B. **1309**

„ 7. „ Sifrido marchie Anconitane rectori. Ut Marchianos inducat ad procedendum contra Urbinates. — „Cum sicut". non. Mart. p. 120 B. **1310**

(„ 7.) („) Communi Esino. Ut accingant se contra Urbinates. p. 120 B. In e. m. aliis communitatibus. **1311**

HONORIUS IV. 1285—1287.

Eligitur 1285 Apr. 2. Perusii. — Consecratur et coronatur 1285 Maji 20. Rome apud s. Petrum. — Moritur 1287 Apr. 3. Rome apud s. Sabinam.

1285.

Apr. 4. Perusii. Archiepiscopo Beneventano. Ut citet ad pape presentiam episcopum Larinensem, turbas concitantem contra heredes Caroli regis Sicilie et ipsam ecclesiam Romanam, quam graviter offendisse dicitur. — „Grandi". II. non. Apr. 1 p. 121 A_1. **1312**

„ 13. „ Venerabili fratri Hugoni, episcopo Bethleemitano. Cum ejus predecessor Martinus IV. Carolo regi Sicilie concessisset decimas totius Italie ad triennium ad reprimendam audaciam Petri, quondam regis Aragonie, et post Caroli mortem idem Martinus eandem decimam eidem negotio ad triennium destinasset, ipse Honorius, predecessoris exemplum secutus, mandat, ut dicte decime pro eodem negotio ad triennium colligantur. — „Quantas". id. Apr. 12 p. 5 A. In e. m. pluribus aliis. **1313**

1285.

Apr. 16. Perusii. Priori et conventui Vallis Scholarium Lingonensis dioc. Recipiuntur in protectionem Romane ecclesie et eorum statuta, olim eis ab Honorio III. concessa, confirmantur. — „Exhibita nobis". XVI. kal. Maji suscepti a nobis apostolatus officii a 1^0. 11 p. 5 A. 1314

„ 24. „ Regi Anglie. De monasterio ordinis Cisterciensis ab ipso rege de bonis propriis in diocesi Assavensi fundato et dotato. — „Magne". VIII. kal. Maji. 15 p. 6 A. 1315

Maji 24. Rome apud s. Petrum. Archiepiscopo Mediolanensi. De suimet pontificis electione. — „Quis loquetur". VIIII. kal. Jun. 5 p. 121 A_1. 1316

„ 31. „ Potestati Senensi. Ut fratres ordinis Militie b. Marie virginis in Tuscia indebitis andariis non gravent contra eorum privilegia. — „Habet". II. kal. Jun. 30 p. 11 A. In e. m. potestati Urbevetano. 1317

Jun. 17. „ Christophoro capellano pape. Transmittit ei plures declarationes, quas nuper ipse papa edidit circa solvendam decimam in partibus Italie pro regno Sicilie, cujus decime colligende in quibusdam Italie partibus ipse Christophorus est constitutus. — „Declarationes". XV. kal. Jul. 56 p. 15 A. 1318

„ 17. „ Priori et capitulo s. Cecilie in Transtiberim de Urbe. Quod Martinus IV. in ultimo sue voluntatis elegio legavit dicte ecclesie s. Cecilie yconam argenteam, gemmis pretiosis ornatam cum dente s. Cecilie, quam ipse Honorius ei tradidit. — „Quoniam". XV. kal. Jul. 61 p. 18 A. 1319

„ 22. „ Jacobo episcopo Ferentino. Ut decimam Italie, per tres annos destinatam pro regno Sicilie contra Petrum, quondam regem Aragonie, colligat, cui colligende terminum assignat. — „Ad compescendos". X. kal. Jul. 34 p. 12 A. In e. m. aliis. 1320

Jul. 4. Palumbarie. Petro episcopo Anconitano. Committitur ei cura monasterii ss. Andree et Silvestri ordinis s. Benedicti civitatis Castellane enormiter deformati. — „Inter imminentes". IIII. non. Jul. 6 p. 123 A_1. cf. P. 22,251. 1321

(„ 4.) („) Fratribus dicti monasterii. De eodem. 7 p. 124 A_1. 1322

„ 11. „ Johanni Muscate. Committitur ei exactio census b. Petri in Polonia et Pomerania a pluribus debiti. — „Puritas". V. id. Jul. 190 p. 52 A. 1323

(„ 11.) („) Eidem. De eisdem censibus ab episcopis exigendis. 191 p. 52 A. 1324

„ 11. „ Ducibus per Poloniam. De eodem cum superiori. 192 p. 52 A. P. 22,256. In e. m. aliis. 1325

1285.

Jul. 11. Palumbarie. Archiepiscopo Gneznensi. De eodem. 193 p. 53 A. P. 22,258. In e. m. aliis. 1326

„ 11. „ Ducibus de Opol. De eodem. 194 p. 53 A. P. 22,257. 1327

„ 11. „ Archiepiscopis, episcopis. De eodem. 195 p. 53 A. 1328

„ 23. Tibure. Willelmo de Awultona rectori ecclesie de Bertone. Dicta ecclesia, quam ipse papa ante potificatum habebat, ipsi donatur et ab ipso papa investitur. — „Nuper". X. kal. Aug. 68 p. 21 A. Scriptum est de eo episcopo Norwicensi. 1329

„ 27. „ Priori provinciali ordinis fratrum Predicatorum de Polonia. Ut capellanum ducis Cracovie absolvat ab irregularitate, in quam incurrerat celebrando presente duce, postquam idem dux absolutus fuit ab excommunicatione, quam incurrerat, episcopum Cracoviensem violenter capiendo ac detinendo. — „Sua nobis". VI. kal. Aug. 109 p. 33 A. 1330

„ 30. „ Gerardo episcopo Sabinensi apost. sedis legato. Ut homines, de regno Sicilie ad fidelitatem heredum Caroli regis redeuntes, quorum non parva erat multitudo, possit absolvere. — „Tuarum". III. kal. Aug. 10 p. 124 A_1. 1331

(Aug. 5.) („) Episcopo Castellano. De eodem (Venetorum) interdicto relaxando cum declaratione statuti ab eisdem editi. 13 p. 125 A_1. cf. P. 22,278. 1332

„ 9. „ Archiepiscopo Arborensi. Preficitur colligendis decimis pro terra sancta in Sardinia et Corsica; modus collectionis prescribitur. — „Quanto". V. id. Aug. 91 p. 25 A. 1333

Sept. 1. „ Theodorico priori s. Andree Urbevetani collectori decimarum. Committitur illi de novo collectio decime terre sancte in Treverensi et Maguntina provinciis. — „Nota nobis". kal. Sept. 110 p. 33 A. 1334

(„ 1.) („) Archiepiscopis, episcopis etc. Ut dicto Theodorico transitum prestent. 111 p. 34 A. 1335

(„ 1.) („) Eidem Theodorico. De eisdem decimis. 112 p. 35 A. 1336

„ 4. „ P. 22,284: — „Filios". Actum Tibure II. non. Sept. 18. p. 125 A_1. 1337

„ 4. „ Archiepiscopis, episcopis etc. ad quos litere iste pervenerint. Ut archiepiscopo Arborensi, qui mittitur in Corsicam et Sardiniam pro colligendis decimis terre sancte, salvum conductum prebeant. — „Cum ven." II. non Sept. 105 p. 33 A. 1338

„ 8. „ Ad perpetuam rei memoriam. Contra Siculos presumentes a fidelitate Caroli regis recedere. — „Ad tollenda". VI. id. Sept. 95 p. 30 A. cf. P. 22,289. 1339

1285.

Sept. 20. Tibure. Archiepiscopis, episcopis etc. Ut Hugoni episcopo Bethleemitano, qui pro colligendis decimis pro regno Sicilie mittitur, prestent salvum conductum. — „Cum ven.“ XII. kal. Oct. 126 p. 37 A. In e. m. pro magistro Simone de Lucca. **1340**

Oct. 11. „ — Ut duodecim millia librarum Turonensium, ab Adriano papa pro terre sancte subsidio deputata, quibusdam mercatoribus assignanda curet. — „Cum sicut“. V. id. Oct. 179 p. 50 A. De eodem inter epistolas anni 2i p. 161 ep. 120. **1341**

Nov. 1. Rome apud s. Sabinam. P. 22,316: Ab ep. 210 A usque ad 1218 diversis scribitur pro eisdem decimis pro terra sancta in regno Norwegie colligendis a Huguicione. **1342**

„ 2. „ Episcopo Senensi. Habetur gravissima pena, olim a Clemente (IV) inflicta in occisores episcopi Silvensis ad sedem apostolicam per partes Tuscie venientis. — „Sua nobis“. IIII. non. Nov. 168 p. 46 A. **1343**

„ 5. „ P. 22,319: — „Sedes apostolica“. Dat. Rome apud s. Sabinam non. Nov. 163 p. 45 A. **1344**

„ 5. „ B. episcopo Albiensi. Ut reformet monasterium Lesatense ordinis s. Benedicti Tholosane dioc. — „Inter cetera“. non. Nov. 167 p. 46 A. **1345**

„ 5. „ P. 22,322: — „Quanto“. Dat. Rome apud s. Sabinam non. Nov. 169 p. 47 A. **1346**

Dec. 18. „ S. Benigni etc. abbatibus Lingonensis dioc. Ut visitent ac reforment monasterium Pulteriorum ord. s. Benedicti, in quo enormia feruntur ab abbate contra monachos et a monachis contra abbatem. — „Ex parte“. XV. kal. Jan. 292 p. 80 A. **1347**

1286.

Jan. 23. „ Priorisse et conventui monasterii s. Crucis in Tulna ord. s. Augustini Pataviensis dioc. Committuntur cure prioris provincialis Theutonie ordinis Predicatorum, quarum monasterium fundatum dicitur a Rodulpho rege Romanorum et Alberto duce Austrie, ejus primogenito. — „Apostolice“. X. kal. Febr. 341 p. 91 A. **1348**

(„ 23.) („) Priori Theutonie ordinis Predicatorum. De eodem cum superiori. 342 p. 91 A. **1349**

„ 25. „ Firmano, Urbevetano et Reatino episcopis. Ut comitem Anguillarie et alios, occupantes quedam castra, monasterio s. Pauli de Urbe cogant restituere. — „Exposuerunt“. VIII. kal. Febr. 308 p. 94 A. **1350**

Febr. 1. „ Johanni tit. s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. Committitur ei causa discordie inter universitatem et can-

1286.

cellarium Parisienses. Habetur etiam, quod ipse papa, in minoribus constitutus, in studio Parisino per plures annos commoratus est. — „Quasi hortus". kal. Febr. 263 p. 72 A. **1351**

Febr. 4. Rome apud s. Sabinam. P. 22,368: — „Lecta". Dat. Rome apud s. Sabinam. II. non Febr. 279 p. 77 A. **1352**

„ 5. „ Gerardo episcopo Sabinensi apost. sedis legato. Ut Bernardum et alios civitatis Antine Sorane dioc. absolvat ab excommunicatione, quam incurrerant favendo Conrado de Antiochia. — „Exhibita". non. Febr. 278 p. 77 A. **1353**

„ 21. „ Episcopo Sabinensi apost. sedis legato. Quod Jacobus episcopus Litterensis, citatus a Manfredo principe Tarentino, ut ejus interesset coronationi, renuit interesse, tum graviter agitatus, quedam munera principibus, adherentibus Manfredo, tradidit et quasdam collectas persolvit. Nunc absolutionem petenti eam dari mandat. — „Significavit". VIIII. kal. Mart. 286 p. 79 A. **1354**

Mart. 8. „ Gerardo Sabinensi episcopo apost. sedis legato. Quod Henricum, filium Ferrandi regis Castelle ac Legionis, propter varios ac graves excessus olim excommunicatum, quod Conradino faverit et bona ecclesie occupaverit, cum absolutionem petierit, absolvat, postquam satisfecerit. — „Sancta mater". VIII. id. Mart. 315 p. 85 A. cf. P. 22,389. **1355**

„ 20. „ Potestati, capitaneo etc. Pistoriensium. Mandat, ut ad pape presentiam ambassiatores mittant pro componenda pace ipsorum, scilicet inter Guelfos intrinsecos et Ghibellinos extrinsecos. — „Inter omnia". XIII. kal. Apr. 324 p. 88 A. In e. m. capitaneo, consilio et universitati Ghibellinorum de Pistorio. **1356**

Apr. 10. „ Reginaldo. Creatur rector ecclesie de Bertona Norwicensis dioc., quam ipse Honorius promotionis sue tempore habebat. — „Olim". IIII. id. Apr. 418 p. 106 A. **1357**

„ 30. „ Johanni s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. Ut Philippo regi Francie, negotio regni Aragonie incumbenti, quedam fortellitia a prelatis, capitulis etc. assignari faciat, si viderit expedire, per annum. — „Prosperum". II. kal. Maji. 388 p. 102 A. **1358**

(„ 30.) („) Eidem. Ut quascunque personas ecclesiasticas faventes Alphonso, nato Petri Aragonie, ab officio et beneficio suspendat. 389 p. 102 A. **1359**

„ 30. „ Eidem. Quod decimam ad quadriennium, quam Philippo regi Francie pro negotio Aragonie Martinus IV assignari precepit, eidem conferenda curet. — „Dudum". II. kal. Maji. 391 p. 102 A. **1360**

1286.

(Apr. 30.) (Rome apud s. Sabinam.) Eidem. De eodem. 295 p. 102 A. 1361

Maji 5. „ Priori generali et fratribus Heremitis s. Guillelmi. Recipiuntur in protectionem apostolice sedis. — „Religiosam". an. 1286 III. non. Maji. 369 p. 99 A. 1362

„ 18. „ Johanni tit. s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. Ut aliquo modo providendum curet Pontio Majoricensi episcopo, qui excommunicationis sententiam publicans in Petrum, regem Aragonie, ab Ildephonso, ipsius Petri filio, bonis suis privatus cogitur exulare. — „Exposuit". XV. kal. Jun. 439 p. 112 A. 1363

1285—1286.

Maji 20.—Maji 19. „ Reservatio omnium ecclesiarum cathedralium in regno Sicilie durante tempore turbationum. 23 p. 128 A_1. 1364

„ 20.— „ 19. „ Communi Reatino. Quietantur de quadam pecunie summa soluta camere. 29 p. 130 A_1. 1365

„ 20.— „ 19. „ Rodulpho archiepiscopo Salzeburgensi. Transmittitur ei palleum. — „Cum palleum". 26 p. 10 A. cf. II. Nr. 24. 1366

„ 20.— „ 19. „ Laurentino et Chunensi episcopis. De palleo archiepiscopo Salzeburgensi conferendo. Sequitur forma juramenti exhibendi ab archiepiscopo et forma conferendi palleum. 27 p. 10 A. cf. II. Nr. 25. 1367

„ 20.— „ 19. „ Priori Predicatorum. Mentio habetur de mulieribus canonicis in seculari ecclesia Andanensi Leodiensis diocesis a comitibus Flandrie fundata. — „Ad nostram". 144 p. 41 A. 1368

„ 20.— „ 19. „ Rodulpho regi Romanorum. Ut Theodorico collectori decimarum pro terra sancta in provinciis Maguntina et Treverensi assistat. — „Ad felicem". 155 p. 44 A. 1369

„ 20.— „ 19. „ Sororibus s. Marie in insula Danubii. Elicitur ex ea, quod Bela rex Ungarie earum ecclesiam fundavit. 170 p. 47 A. 1370

„ 20.— „ 19. „ Philippo archiepiscopo Salernitano. Transmittitur ei palleum. 353 p. 95 A. 1371

„ 20.— „ 19. „ Philippo regi Francie. Conceditur indulgentia orantibus pro ipso rege. — „Gaudemus". 372 p. 100 A. 1372

„ 20.— „ 19. „ Universis Christi fidelibus. Habetur, quod Innocentius II. per se visitavit ac dedicavit monasterium Cluniacense, cum prius Urbanus ibidem majus altare consecrasset. — „Quasdam". 408 p. 104 A. 1373

„ 20.— „ 19. „ Habentur nominati fratres Penitentie Jesu Christi, qui fratres de Sacco vulgariter dicuntur. 452 p. 114 A. 1374

„ 20.— „ 19. „ B. episcopo Albiensi. Committitur secundo reformatio monasterii Lesatensis. 457 p. 115 A. 1375

1285—1286.

Apr. 2.—Maji 19. Rome apud s. Sabinam. Thesaurario domus Templi Parisiensis. Quod Martinus IV. in testamento suo legavit pro subsidio terre sancte duo millia librarum Turonensium de pecuniis ad suam personam spectantibus. — „Sicut ad nostrum". 4 p. 121 A_1. **1376**

1286.

Maji 23. „ P. 22,453: — „Ex parte". Dat. Rome apud s. Sabinam X. kal. Jun. 16 p. 135 A_2. **1377**

„ 23. „ Processus habitus in die ascensionis dominice contra Alphonsum, filium Petri, quondam regis Aragonie, ipsum Aragonie regnum invadentis. — „Dudum". 2 p. 203 A_3. **1378**

(„ 31.) („) Johanni tit. s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. De eadem legatione (Johannis episcopi Tusculani) in Alemanniam, ut supra (P. 22,467) terminosque ipsorum legationis distinguit. 4 p. 205 A_3. **1379**

(„ 31.) („) De eadem legatione. 4—40 p. 205—207 A_3. **1380**

Jul. 15. „ R. comiti Atrebatensi. Ut cesset a quocunque processu contra Adenulfum, Acerrarum comitem, ne pax in regno Sicilie turbetur, de quo sepius alias scripserat nec abstinuerat. — „Pridem". id. Jul. 60 p. 145 A_3. **1381**

Aug. 3. „ Universis Christi fidelibus. Concedit indulgentiam orantibus pro Philippo, rege Francorum, defuncto, optime de ecclesia merito. — „Cum sicut". III. non. Aug. 94 p. 153 A_2. cf. P. 22,504. **1382**

„ 23. „ P. 22,509: — „Fons sapientie". Dat. Tibure X. kal. Sept. 98 p. 155 A_2. In e. m. capitulo. **1383**

Sept. 2. „ Johanni tit. s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. Ut defendat decanum et capitulum Carnotensis ecclesie, qui a comitissa Carnotensi super quibusdam juribus ad judicium seculare coram rege Francorum pertracti, ab eodem debite vexantur. — „In mentis nostre. IIII. non. Sept. 107 p. 157 A_2. **1384**

Oct. 26. „ P. 22,520; 22,521: Dat. apud s. Sabinam VII. kal. Nov. 140 p. 167 A_2. **1385**

„ 29. „ Josepho priori monasterii s. Georgii in Brayda Veronensi. Dispensat cum eo, ut dictum prioratum retineat ex eo potissimum, quod Albertus Lascala de Verona, ejus pater, ad extirpandam hereticam pravitatem in Marchia in captione castri insule Sermioni et laci Garde, in quo erat hereticorum congregata multitudo, cum armis et equitibus Philippo ordinis Minorum inquisitori presto fuit. — „Exhibita". IIII. kal. Nov. 162 p. 170 A_2. **1386**

1286.

(Maji21.—Nov.1.) (Rome apud s. Sabinam.) Clero civitatis Aretine. Interdictum, in ea civitate promulgatum, usque ad festum omnium Sanctorum suspendit. — „Dudum". 66 p. 146 A_2. 1387

(„ 21.— „ 1.) („) Episcopo Clusino. De eodem. 71 p. 147 A_2. 1388

Nov. 6. „ Philippo regi Francorum. Eximit a solutione decimarum capellanos, quos instituit Ludovicus ejus avus in capella, quam construxit in honorem insigniorum passionis Christi ac reliquiarum ibi reconditarum. — „Petitionibus". VIII. id. Nov. 161 p. 170 A_2. 1389

„ 18. „ Archiepiscopo Cantuariensi et ejus suffraganeis. De gravibus excessibus Judeorum in partibus Anglicanis, quos omnino tollendos curent. — „Nimis". XIIII. kal. Dec. 42 p. 208 A_3. cf. P. 22,541. In e. m. archiepiscopo Eboracensi et suffraganeis. 1390

„ 18. In Urbe in ecclesia s. Sabine. P. 22,537: — „Intellecto". 40 p. 207 A_3. 1391

„ 22. Rome apud s. Sabinam. Episcopo Parmensi. Contra potestatem et commune Lucanorum, qui pape mandatis inobedientes episcopum Lunensem bonis dilapidatis graviter persequuntur. — „Venerabilis frater". X. kal. Dec. 183 p. 179 A_2. 1392

„ 22. „ Episcopo Parmensi. Ut fratres ordinis Predicatorum, qui inde discesserant, apud potestatem et commune in eadem Parme civitate revocandos curet. — „Memores". X. kal. Dec. 195 p. 183 A_2. 1393

(„ 22.) („) Potestati, capitaneo etc. Parmensi. De eodem cum superiori. 196 p. 183 A_2. 1394

„ 22. „ Episcopo Parmensi. Ut Parmenses inquisitoribus heretice pravitatis auxilium prestent. — „Cupientes". Dat. ut supra. 197 p. 183 A_2. 1395

(„ 22.) („) Potestati etc. Parmensi. De eodem. 198 p. 183 A_2. 1396

„ 28. „ Archipresbitero plebis de s. Prospero Parmensis diocesis. Ut inquirat contra occisores Gerardini de Raccarano laici, in quo excessu alique persone ecclesiastice dicuntur extitisse culpabiles. — „Ad audientiam". IIII. kal. Dec. 180 p. 179 A_2. 1397

„ 30. „ Alphonso clerico nato Alfonsi de Molina fratris . . regis Castelle. Dispensat super illegitimatione. — „Illegitime genitos". II. kal. Dec. 187 p. 180 A_2. 1398

„ 30. „ — Ut Adamutium Tancredi et alios civitatis s. Leonis, rectori Romaniole olim rebellantes, nunc absolutionem petentes absolvat, si videbitur. — „Significarunt". II. kal. Nov. 189 p. 180 A_2. 1399

1286.

Dec. 15. Rome apud s. Sabinam. Decano et capitulo Cathalaunensi. Quod specialiter ei ecclesie favere intendit, in qua ipse papa in minoribus fuit educatus. — „Multiplex". XVIII. kal. Jan. 73 p. 147 A_2. 1400

„ 18. „ Episcopo Laudensi. Ut cogat potestatem et commune Bergamenorum revocare statuta quedam, ab eis edita in prejudicium ecclesiastice libertatis. — „Petitio". XV. kal. Jan. 217 p. 186 A_2. 1401

1287.

Jan. 5. Rome apud s. Sabinam. Archiepiscopis, episcopis etc. Ut Raymundum de Rifuldun et alios nuntios Alfonsi, filii Petri Aragonie, ad propria revertentes libere transire permittant. — „Cum magister". non. Jan. 43 p. 209 A_3. 1402

„ 5. „ Eisdem. Ut dictos nuntios in veniendo, morando et redeundo non molestent. — „Cum sicut". Dat. ut supra. 44 p. 209 A_3. 1403

Febr. 5. „ P. 22,593 sine nota chronol. Johanni tit. s. Cecilie presbitero cardinali apost. sedis legato. Habetur ex ea epistola in fine, quod papa in minoribus constitutus Cathalaunensis ecclesie canonicus extitit. — „Sua nobis" non. Febr. 270 p. 200 A_2. 1404

„ 9. „ P. 22,557: — „Petitio". Dat. Rome apud s. Sabinam V. id. Febr. 251 p. 196 A_2. 1405

Mart. 4. „ Johanni Alsendorum canonico Pergameno. Ut informet se de negotio Adenulfi, comitis Acerrarum, qui conqueritur injuste se a comite Atrebatensi et a pape legato denuntiatum esse proditorem et ut talem exagitatum. — „Ex parte", IIII. non. Mart. 262 p. 198 A_2. 1406

„ 4. „ P. 22,582: — „Tue". Dat. Rome apud s. Sabinam IIII. non. Mart. 46 p. 209 A_3. 1407

1286—1287.

Maji 20.—Apr. 3. „ Magistro Offredo. Contra Thomam de Stochis clericum, invasorem rectorie ecclesie s. Georgii de Camere Wigorniensis dioc. — „Sua nobis". 17 p. 136 A_2. 1408

„ 20.— „ 3. „ Episcopo Pistoriensi. Ut inquirat contra potestatem et commune Lucanorum, invadentes bona episcopi Lunensis. — — „Dudum". 79 p. 149 A_2. Infra 183 p. 179. De eodem. 1409

„ 20.— „ 3. „ Archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Bojacensi. Confirmatur inita inter eos compositio super eorum jurisdictionibus per Benedictum s. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali. — „Licet ea". 169 p. 173 A_2. 1410

(„ 20.— „ 3.) („) Abbati s. Germani de pratis Parisiensibus. Ut dictam compositionem observandam juret. 170 p. 175 A_2. 1411

II.

ACTA VATICANA

INDE AB ANNO 1255 USQUE AD ANNUM 1372.

1.

Alexander IV. confirmat electionem Wolradi episcopi Halberstadensis et irritat, que fecit Ludulfus de Sladen intrusus. cf. Nr. 37.
Anagnie, 1255 Jul. 14.

Wolrado electo Halberstadensi. Sicut te intimante nobis innotuit, felicis recordationis I(nnocentius) papa, predecessor noster, electione presumpta in Halberstadensi ecclesia de Ludulfo de Sladen, ecclesie predicte canonico, irrita penitus nunciata, electionem de te canonice celebratam de fratrum suorum consilio confirmavit. Verum dictus predecessor ipsius Ludulfi personam, ut mandatis ejus in hac parte pareret, pluribus decorans gratiis et beneficiis, per litteras suas injunxit eidem, ut administrationi episcopatus Halberstadensis se nequaquam ingerens nec intromittens de illo, dictum episcopatum et civitatem Halberstadensem nec non castra, oppida et alia ad te spectantia cum fructis, medio tempore perceptis, ex integro tibi dimitteret pacifice et quiete, nullam tibi super premissis per se aut alios molestiam inferendo. Dedit etiam dictus predecessor preposito ecclesie in Germorode, Maguntine diocesis, suis litteris in mandatis, ut si predictus L. mandato apostolico in hoc contempneret obedire, idem prepositus per se vel per alium hujusmodi gratias et beneficia revocans, ipsum L., tanquam ingratum illis privatum nunciare studeret, injungendo nihilominus per alias literas suas . . . abbati monasterii de Ballestate et . . . preposito ecclesie sancte Marie in Erfordia, ut in nominatum L., parere super hoc mandatis apostolicis renitentem et in omnes in hoc adherentes ei excommunicationis et in terras eorum interdicti sententias, appellatione postposita, proferentes ac utramque sollempniter puplicantes sententiam, facerent eas usque ad satisfactionem condignam, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari, invocato ad hoc etiam, si necesse fuerit, brachii auxilio secularis, processuri alias contra eos, prout exigeret protervitas eorumdem. Sed predictus L. non solum mandatis apostolicis parere contempsit, verum etiam iniquitatem iniquitati accumulans, quendam nuncium, qui ei super hiis monitionis detulit litteras, exoculari et aures amputari fecit eidem, ac unum ministerialem ipsius ecclesie, nullis suis culpis ex-

igentibus, morte turpissima condempnari. Unde dicti executores in sepedictum L., quia mandatis eisdem obedire contumaciter renuit et in adherentes eidem, in hoc canonica monitione premissa, excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgarunt, ac dictus prepositus in Germerode, gratias et beneficia revocans eadem, ipsum L., tanquam ingratum illis privatum, juxta formam sibi traditam nunciavit in contradictores excommunicationis sententia promulgata: tu etiam in abbates, priores, prelatos, canonicos et clericos Halberstadensis civitatis et diocesis, nec non et vassallos et ministeriales ipsius ecclesie Halberstadensis, quia tibi non intendebant, sed potius contra te favebant Ludulfo predicto, canonica monitione premissa tam ipsius predicti antequam propria similes sententias protulisti. Quia vero dicti abbates et alii a sua propter hoc pertinacia minime resipiscunt, ut pena docente cognoscant, quam temerarium sit, prelati non obedire mandatis, eos, si a te moniti diligenter tibi, ut patri et pastori animarum suarum, non obedierint ac intenderint et destiterint prorsus a prestatione favoris Ludulfo predicto, privandi suis dignitatibus, prelaturis, prebendis et beneficiis, que in monasteriis et ecclesiis earumdem civitatis et diocesis obtinet, nec non et compescendi contradictores per censuras ecclesie apostolice reservatas, remissa tibi auctoritate premissa, concedimus facultatem, concessa nichilominus potestate illis, ad quos hujusmodi dignitatum, prelaturarum, prebendarum et bonorum collatio pertinet, ea propter privationem hujusmodi tanquam vacantia personis idoneis conferendi. Non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, nulli litteris veritati et justitie prejudicantibus a sede apostolica impetratis et etiam impetrandis. Datum Anagnie, II. id. Julii anno 1⁰.

2.

Alexander IV. mandat, ut archiepiscopus Magdeburgensis Ludulfum de Sladen intrusum excommunicet. cf. Nr. 37. ***Anagnie, 1255 Jul. 14.***

Archiepiscopo Magdeburgensi. Dilectus filius Volradus, electus Halberstadensis, sua nobis petitione monebat, quod cum dudum in Halberstadensi ecclesia due fuissent electiones, videlicet de ipso, tunc scolastico et de Ludulfo de Sladen, canonico ipsius ecclesie celebrate, quare felicis recordationis I(nnocentius) papa, predecessor noster, procuratoribus partium, propter hoc in ejus presentia con-

stitutis et auditis, que fuere hinc inde proposita coram ipso, invenit electionem de prefato L., qui postmodum a venerabili fratre nostro . . . archiepiscopo Maguntino loci metropolitano munus sibi confirmationis et consecrationis impendi obtinuerat, utpote adhuc non vacante dicta ecclesia fore presumptam amodo quondam episcopo Halberstadensi nondum obtinente cedendi licentiam licet eam cum instantia postulasset a dilecto filio nostro H., tituli sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus Alamannie apostolice sedis legato, propter generalem etiam inhibitionem, ab ipso legato emissam, ut nulla electio in regno Alamanie fieret, ejus irrequisito assensu, super quibus dictus cardinalis ab eodem predecessore speciale mandatum habebat, denunciavit electionem hujusmodi penitus irritam et electionem postea de ipso Volrado celebratam canonice de fratrum suorum consilio confirmavit. Verum etc. usque promulgata ubilibet canonica monitione. Porro idem L., hujusmodi sententias dampnabiliter vilipendens et maledictionem bibens ut aquam, divinis officiis temere se immiscet in anime sue periculum, ipsius electi prejudicium et ecclesiastice discipline contemptum et licet jam dictus predecessor eidem L. inter alias gratias concessisse dicatur, ut, si se administratorem non ingereret, episcopatus ejusdem pontificali dignitate gauderet, idem tamen L., contra mandatum ipsius predecessoris post privationem gratiarum hujusmodi et latam in ipsum excommunicationis sententiam, se administrationi dicti episcopatus ingerens, crisma presumpsit conficere sollempniter et alia, que ad officium pontificale pertinent, dampnabiliter exercere. Cum igitur publice utilitatis intersit, ut excessus vindicta coerceat et pena limitentur, offense mandamus, quatenus, nisi sepedictus L. infra XV. dies post monitionem tuam mandatis apostolicis, ab eodem predecessore super hiis sibi factis, curaverit obedire, extunc eum prives omni officio et beneficio ecclesiastico, quibus reddidit se indignum, et in abbates, priores, prelatos, canonicos et clericos civitatis et diocesis Halberstadensis nec non vassallos et ministeriales ipsius ecclesie Halberstadensis, nisi eidem intenderint et obedierint ac ei, ut patri et pastori animarum suarum, astiterint contra illum, monitione premissa excommunicationis ferens sententiam ac terras eorum supponens ecclesiastico interdicto, ipsos et dictum L. tamdiu, singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuncies et ab aliis nunciari facias ac ab omnibus artius evitari, donec resipuerint a premissis. Ceterum ad ipsius proterviam edomandam civitatem Halberstadensem et alia loca sibi assistentia, in ipsa pertinacia existentia seu ad que ipsum devenire contigerit, supponas ecclesiastico interdicto, ita quod nullum in eis diutinum celebretur officium et exhibeatur ecclesiasticum sacramentum preter penitentias morientium et baptismata parvu-

lorum, invocato ad hoc etiam, si necesse fuerit, brachii auxilio secularis. Non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, nullis litteris veritati et justitie prejudicantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis. Datum Anagnie, II. id. Julii anno 1⁰.

3.

Alexander IV. mandat decano, capitulo et diocesi Halberstadensi, ut Volrado electo Halberstadensi obediant. cf. Nr. 37. ***Anagnie, 1255 Jul. 14.***

. . . . Decano et capitulo Halberstadensi nec non abbatibus, prioribus, prelatis, canonicis et clericis universis civitatis et diocesis Halberstadensis. Dilectus filius Volradus electus Halberstadensis sua nobis petitione monebat, quod, cum dudum in Halberstadensi ecclesia due fuissent electiones, videlicet de ipso, tunc scolastico, et de Ludulfo de Sladen, canonico ipsius ecclesie celebrate, quare felicis recordationis I(nnocentius) papa, predecessor noster, procuratoribus partium, propter hoc in ejus presentia constitutis et auditis, que fuere hinc inde proposita coram ipso, invenit electionem de prefato L., qui postmodum a venerabili fratre nostro . . . archiepiscopo Maguntino loci metropolitano munus sibi confirmationis et consecrationis impendi obtinuerat, utpote adhuc non vacante dicta ecclesia fore presumptam amodo quondam episcopo Halberstadensi nondum obtinente cedendi licentiam licet eam cum instantia postulasset a dilecto filio nostro H., tituli sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus Alamannie apostolice sedis legato, propter generalem etiam inhibitionem, ab ipso legato emissam, ut nulla electio in regno Alamanie fieret, ejus irrequisito assensu, super quibus dictus cardinalis ab eodem predecessore speciale mandatum habebat, denunciavit electionem hujusmodi penitus irritam et electionem postea de ipso Volrado celebratam canonice de fratrum suorum consilio confirmavit. Verum etc. usque promulgata ubilibet canonica monitione. Porro idem L., hujusmodi sententias dampnabiliter vilipendens et maledictionem bibens ut aquam, divinis officiis temere se immiscet in anime sue periculum, ipsius electi prejudicium et ecclesiastice discipline contemptum. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus universi et singuli eidem electo, tanquam patri et pastori animarum vestrarum, intendentes et obedientes humiliter et devote sibi contra dicti L.

proterviam prestetis per vos ac vestros consilium, auxilium et favorem. Itaque obedientie filii comprobemini et de filiali devotionis affectu, ipsi electo a vobis exhibito, possitis non immerito commendari. Nos enim privandi precepti nostri super hoc contemptores dignitatibus, prelaturis, prebendis et beneficiis, que a monasteriis et ecclesiis civitatis et diocesis Halberstadensis obtinet, et compescendi contradictores per censuras, ecclesie apostolice reservatas, prefato electo concessimus per nostras literas facultatem, concessa nichilominus potestate illis, ad quos predictorum collatio pertinet, ea propter privationem hujusmodi tanquam vacantia personis idoneis conferendi. Provideatis itaque vobis prudenter, ne in illius difficultatis articulum incidatis, de quo exire facile non possetis. Dignum est enim ut, cum velit, non valeat, qui noluit, cum valebat. Datum Anagnie, ut supra.

In eundem modum vassallis et ministerialibus Halberstadensis ecclesie usque contemptum. Quocirca universitati vestre rogando monentes ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus universi etc. usque intendentes humiliter etc. usque ita quod de filiali devotionis affectu etc. usque privandi mandati nostri super hoc contemptores feudos, qui ab eadem Halberstadensi ecclesia obtinent etc. usque in finem.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Halberstadensis.

4.

Alexander IV mandat, ut archiepiscopus Magdeburgensis venditiones et infeudationes Ludolfi de Sladen intrusi revocet. ***Anagnie, 1255 Jul. 21.***

Archiepiscopo Magdeburgensi. Dilectus filius Volradus, electus Halberstadensis, sua nobis petitione monebat, quod, cum dudum in Halberstadensi ecclesia due fuissent electiones, videlicet de ipso, tunc scolastico, et de Ludulfo de Sladen, canonico ipsius ecclesie celebrate, quare felicis recordationis I(nnocentius) papa, predecessor noster, procuratoribus partium, propter hoc in ejus presentia constitutis et auditis, que fuere hinc inde proposita coram ipso, invenit electionem de prefato L., qui postmodum a venerabili fratre nostro . . . archiepiscopo Maguntino loci metropolitano munus sibi confirmationis et consecrationis impendi obtinuerat, utpote adhuc non vacante dicta ecclesia fore presumptam amodo quondam episcopo Halberstadensi nondum obtinente cedendi licentiam licet eam cum instantia postulasset a dilecto filio nostro H., tituli sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus Alamannie apostolice sedis legato, propter generalem etiam inhibitionem, ab ipso legato emis-

sam, ut nulla electio in regno Alamanie fieret, ejus irrequisito assensu, super quibus dictus cardinalis ab eodem predecessore speciale mandatum habebat, denunciavit electionem hujusmodi penitus irritam et electionem postea de ipso Volrado celebratam canonice de fratrum suorum consilio confirmavit. Sed dictus L., administrationi episcopatus Halberstadensis se ingerens et intromittens, de illo, propter quod fuerunt in eum auctoritate dictorum predecessoris et cardinalis exigente justitia excommunicationum sententie promulgate, personatus dignitates ecclesiasticas et beneficia ecclesiastica, ad collationem dicti electi spectantia, conferre, nec non et castra, villas, possessiones et alia bona episcopalis mense, fame sue prodigus et salutis oblitus, de facto vendere, infeudare et obligare presumpsit in anime sue periculum, plurimorum scandalum et ipsorum electi et ecclesie non modicum detrimentum. Quocirca mandamus, quatenus, si de collatione, venditione, infeudatione ac obligatione hujusmodi tibi constiterit, eas auctoritate nostra decernens penitus non tenere ac denuncians irritas et inanes eis, quibus idem L. personatus dignitates ecclesiasticas et beneficia ipsa contulit et illis, in quibus castra, villas, possessiones et bona predicta taliter vendidit, infeudavit et obligavit, ab eis prorsus amotis castra, villas, possessiones et bona eadem ad jus et proprietatem dicte mense studeas legitime revocare. Contrariis non obstantibus si aliquibus est ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto non possint per litteras apostolicas, que de ipsorum personis et nominibus ac toto tenore indulti hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem ac qualibet alia indulgentia cuicumque persone vel loco sub quacumque forma vel expressione verborum, a dicta sede concessa, per que hujusmodi mandati executio impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.[1]) Nullis litteris veritati et justitie prejudicantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis Datum Anagnie, XII. kal. Augusti anno 1⁰.

[1]) *Or. du. di. e. i. co. ge.*

5.

Alexander IV. confirmat Philippo de Sancta Cruce donationes ei factas de terra Baroli et Monopoli. cf. Nr. 87. ***Anagnie, 1256 Aug. 31.***

Patriarchis, archiepiscopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris marchionibus,

comitibus, baronibus, militibus et aliis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Noverit universitas vestra, quod nos considerantes puritatem fidei, devotionis fervorem dilecti filii nobilis viri Philippi de Sancta Cruce, Baroli et Monopoli prothontini, donationes, concessiones seu confirmationes de terra Cannarum, Caurati, Elicii et Arricarri castris seu casalibus, sitis in terra Bari, nec non de domibus fundici Baroli et domo Curie, quam tenuit Ribaldinus pro tempore in fundico deputatam, et terram vacuam extra portam sancti Leonardi de Barolo, quorum proventus quadringentarum unciarum auri summam annis singulis valere dicuntur, et de officio prothontinatus Baroli et Monopoli predictorum ei de fratrum nostrorum consilio duximus faciendas, maxime quod id vidimus expedire, cum utilitas obsequiorum, que ipse in negotio regni Sicilie redeundo ad devotionem ecclesie tribuit, hoc exposceret et pro eo necessitas suaderet, quia nomine Romane ecclesie sibi tunc promissum extitit super bonis prefati regni de omnibus dampnis, que pro devotione ipsa incurreret, servaretur indempnis. Quia vero nos sibi promisimus donationes, concessiones et confirmationes hujusmodi sibi suisque heredibus per reges, ipsum regnum a prefata tenentes ecclesia, facere inviolabiliter observari, prout in apostolicis privilegiis, super hoc eidem concessis, plenius continetur ac id factum extitit, conscio nobili viro Roberto de Baro, qui pro carissimis in Christo filiis nostris Henrico et Edmundo, Anglie et Sicilie regibus illustribus, in hoc et in aliis ipsorum negociis apud sedem apostolicam remanserat procurator, prout nobis constitit evidenter, volumus, ut id in perpetuum observetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hujusmodi nostras donationes, concessiones seu confirmationes et privilegia infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagnie, II. kal. Septembris anno tertio.

6.

Alexander IV. Cazia comitem clericum Aretine diocesis, in Cusentinum episcopatum intrusum, absolvit ab excommunicatione et ad episcopalem sedem habilitat. cf. Nr. 113. **Laterani, 1257 Febr. 9.**

Cazia comiti clerico Aretine diocesis. Sedes apostolica, pia mater, uteri sui filios, etiam graviter delinquentes, indurata facie non repellit, sed eis ad ipsius ubera redeuntibus leta occurrens et procumbens ad reconciliationis osculum supra collum, gratiosius ipsos prosequitur, cum in spiritus humilitate redierint post delictum. Lecta siquidem coram nobis tua petitio continebat, quod quon-

dam Aldebrandino Caza comite, patre ac fratribus tuis, quondam Friderico, olim Romanorum imperatori et Conrado ac aliis natis ejusdem Friderici adherentibus, quidam ex predictis tuis fratribus ab eodem Corrado archiepiscopatum Cusentinum de facto tibi concedi obtinuit, quem tu recipiens ex eo aliquandiu redditus recepisti. Postmodum vero in mortis constitutus articulo, fuisti a quodam presbitero ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurreras, juxta formam ecclesie absolutus, sicut plene nobis constitit per publicum instrumentum. Cum igitur prefati delicti macula, virtutum purgata lavacro, nobilitatem generis morum munies honestate atque ad obtinendam predicte sedis gratiam dono scientie ac laudabili fidedignorum testimonio adjuveris, nos tue devotionis precibus inclinati, absolutionem hujusmodi approbantes, tecum super irregularitate, quam exinde contraxisse dinosceris, auctoritate predicta dispensamus, ita quod hoc non obstante possis beneficium ecclesiasticum, quod obtines, licite retinere ac ad quamcumque etiam episcopalem eligi dignitatem, quam licite recipere valeas et super eis ac etiam quibuslibet gratiis, a te ab eadem sede obtentis vel etiam obtinendis, occasione hujusmodi nullum tibi queat obstaculum interponi, quod ad restitutionem predictorum reddituum seu satisfactionem, de ipsis alicui faciendam, minime tenearis nec ad id ullo tempore possis apostolica vel quavis auctoritate compelli devotioni tue nichilominus concedentes. Nulli ergo omnino hominum liceat nostre dispensationis et concessionis hanc paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V. id. Februarii anno tertio.

7.

Alexander IV. episcopo Ratisponensi precipit, ne possit alienare castra, que alias a Dipoldo, marchione de Voheburg fuerant occupata. cf. Nr. 126. **Viterbii, 1257 Aug. 13.**

Episcopo Ratisponensi. Ad audientiam nostram pervenit, quod, cum castrum de Hohemburch cum suis appenditiis ab antiquo ad ecclesiam Ratisponensem proprietatis titulo pertineret, Dipoldus, marchio de Voheburch, et heredes sui castrum ipsum aliquot annis detinuerunt, per violentiam occupatum, cui marchioni cum Berhtoldus et fratres sui postmodum successissent et dictum castrum cum suis pertinentiis detinerent, tandem dictus Berhtoldus jus, quod ecclesia ipsa in eisdem habebat castro et pertinentiis, recognoscens, castrum ipsum cum suis appenditiis a bone memorie Sifrido, Ratisponensi episcopo, predecessore tuo, recepit in feudum et in recompensationem

feudi hujusmodi Rorbach castrum suum proprium cum suis appenditiis donavit ecclesie supradicte illudque in feudum ab eodem recepit episcopo sub hoc pacto, ut vacante feudo hujusmodi, castra ipsa cum suis appenditiis apud sepedictam ecclesiam perpetuo remanerent, nullo ab eadem alienationis titulo distrahenda. Cum autem, sicut quorundam relatione accepimus, dicta castra cum suis appenditiis nuper ad sepedictam ecclesiam sint reversa, tu ipsa cum suis pertinentiis alienare intendis in gravem ejusdem ecclesie lesionem. Nos igitur occurrere hujusmodi lesioni volentes, ne predicta castra vel eorum alterum seu ipsorum pertinentie per te vel successores tuos in alios, quovis obligationis vel alienationis titulo, in ecclesie predicte dispendium transferantur, auctoritate presentium districtius prohibemus, decernentes irritum et inane, si quid super hoc contra prohibitionem nostram contigerit attemptari. Datum Viterbii, id. Augustii anno tertio.

8.

Alexander IV. donat nobilibus viris Zacharie, Nicolao et Bibulo fratribus bona Ayroldi de Ripalta. cf. Nr. 138. **Viterbii, 1257 Nov. 21.**

Nobili viro Zacharie, Nicolao et Bibulo fratribus, natis quondam Sergii de Bibulo, civibus Brudamensibus. Consuevit sedes apostolica more pii patris habere inter cetera hoc in voto hiis, qui propter eam dispendia patiuntur, prosperitatis et gaudii munera afferre libenter ac exhibere grate consolationis affectum. Gerentes igitur erga vos paterne compassionis, viscera, quorum pater pro puritate fidei et ecclesie Romane fidelitate servanda morte turpissima extitit condempnatus, et qui in bonis estis, plurima dampno perpessi ac volentes vos ex hoc favore prosequi gratie specialis, omnia bona mobilia et immobilia Ayroldi de Ripalta, ipsius ecclesie infidelis, qui civitatem Brundusinam prodidit in manibus Manfredi, quondam principis Tarentini, et dictum patrem vestrum et alios probos viros ipsius civitatis interfici procuravit, nec non domum, que dicitur Margariti, in Brundusio existentem cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ad domanium Curie spectantem, vobis vestrisque heredibus in perpetuum concedimus de gratia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat nostre concessionis hanc paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, XI. kal. Decembris anno tertio.

9.

Urbanus IV. revocat statutum, quo Maguntinus archiepiscopus in provinciali concilio decreverat, ne jus patronatus religiosis personis a secularibus posset conferri. cf. Nr. 180. **Viterbii, 1261 Oct. 9.**

Magistro et fratribus hospitalis Jerosolimitani in Alemannia. Exigentibus vestre religionis meritis, votis vestris libenter annuimus et ab hiis, per que possent vobis evenire dispendia, vos affectu benevolentie preservamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster, archiepiscopus Maguntinus, in provinciali concilio pro sua voluntate statuit, ut jus patronatus alicujus ecclesie sue, civitatis vel diocesis aut provincie religiosis aliquibus a personis secularibus nullatenus conferatur et, si forte hujusmodi jus a predictis secularibus religiosis eisdem conferri contingat, conferens jus, quod in eisdem habebat ecclesiis, ipso facto amittat illudque diocesano cedat episcopo, nisi forte idem conferens jus ipsum ab alio teneatur in feudum, quod tunc ad feudi dominium libere devolvatur. Statuit etiam archiepiscopus supradictus, ut collegio, cui facta fuerit hujusmodi collatio, nullum jus ex ipsa collatione penitus acquiri debeat, immo si habeat aliquas ecclesias in usus proprios in diocesi, ubi talem collationem ei fieri contigerit, eedem ecclesie ipso jure vacent et per loci diocesanum seu archidiaconum, in cujus archidiaconatu consistunt, personis idoneis conferantur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut, ne per hujusmodi statutum vobis prejudicari possit, providere paterna sollicitudine curaremus. Vestris itaque supplicationibus favorabiliter annuentes, ne occasione hujusmodi statuti aliquod prejudicium vobis et hospitali vestro in posterum generari valeat, quominus jus patronatus ecclesiarum earundem civitatis vel diocesis aut provincie, si a patronis earum laicis illud vobis pietatis intuitu licite conferri contigerit, recipere ac habere libere valeatis. Ita tamen quod bona ecclesiarum, in quibus hujusmodi jus patronatus vobis taliter collatum fuerit, auctoritate vestra vel per vos appropriare vestris usibus vel in illos convertere non possitis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii, VII. id. Octobris anno 1°.

10.

Urbanus IV. confirmat electionem Engelberti archiepiscopi Coloniensis. cf. Nr. 208. **Apud Urbem veterem, 1262 Dec. 31.**

Capitulo et clero civitatis et diocesis Coloniensis. Plantans a principio dominus deus ecclesie paradysum, in quo posuit hominem, quem formarat, inter alia ligna pomifera, pulchra visu et ad vescendum suavia, in medio ejus tamquam lignum vite Coloniensem ecclesiam salubri dispositione produxit et eam venerandam universitati fidelium stabilivit, ipsam metropolitice dignitatis insigniis honorando, radicando ipsam in populo honorificato et ad ejus cultum deputando vos filii capitulum, diversis meritis precellentes, qui sanis advertentes sensibus et prudentie consiliis providentes, quod expediebat ecclesiam tam nobilem sponsum habere virtutum, meritis et nature dotibus speciosum et honorificatum populum presule regi scientia predito et stipato potentia seculari, ac membra nobilia decorari capite generoso, ad venerabilem fratrem nostrum Engelbertum, Coloniensem archiepiscopum, tunc prepositum Coloniensem, consulte deliberationis oculos extendistis, tamquam ad virum meritis istis et aliis, tantis sufficientem oneribus et tam magnis honoribus congruentem. Ipsa siquidem ecclesia pastoris solacio destituta, vos filii capitulum, die ad electionem prefixa, presentibus omnibus, qui volebant, debebant et comode poterant interesse, ipsum in vestrum pastorem et archiepiscopum, quasi per divinam inspirationem canonice ac concorditer elegistis et, presentato nobis electionis decreto, supplicastis humiliter, ut electionem ipsam confirmare de consueta benignitate sedis apostolice dignaremur. Ipso igitur archiepiscopo, propter hoc in nostra presentia constituto, electionem eandem examinari fecimus diligenter et, quia ipsam invenimus de persona non solum ydoneam, sed etiam premissis et aliis meritis precellentem canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, consecrationis munus sibi de nostris manibus impendentes sibique palleum, de corpore beati Petri sumptum, in signum quidem plenitudinis pontificalis officii tribuentes firma spe fiduciaque concepta, quod ipse, tamquam vir litteratus et providus et, prout didicimus, in judiciis rectus, in dispensatione industrius, in agendis strenuus, compositus ad mores, fortis ad patientiam, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram, virtute nitens et eminens generositate ac pollens maturitate consilii, predictam ecclesiam ac subditum sibi clerum et populum taliter auctore domino gubernabit, quod eadem ecclesia per diligentie sue studium in temporalibus et spiritualibus votivum suscipiet incrementum, reddendo vos acceptabiles domino et populum bonorum operum

sectatorem. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictum archiepiscopum, ad vos cum plenitudine nostre gratie ac sedis apostolice revertentem, suscipientes humiliter et devote ac pleno prevenientes honore ei, tamquam patri et pastori animarum vestrarum, debitam obedientiam et reverentiam impendatis, ejus monita et mandata salubria suscipiendo devote ac efficaciter observando. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorem domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum apud Urbem veterem, II. kal. Januarii anno secundo.

In eodem modo universis episcopis suffraganeis Coloniensis ecclesie. Plantans etc. ut in superiori proxima usque honorando, fulciendo suffraganeorum venerabili potentatu eamque illis tamquam muro fortitudinis circumdando, radicando etc. usque deputando viros nobiles diversis meritis precellentes, qui siquidem viri sanis etc. verbis competenter mutatis usque prevenientes honore, ac ei tamquam membra capiti obsequentes exhibeatis ei obedientiam debitam et devotam, ita quod mutua inter vos gratia gratos sortiatur effectus ad decorem fame vestre, commissarum vobis ecclesiarum exaltationem, depressionem illorum, qui ecclesiasticam opprimunt libertatem et plenum gaudium mentis nostre ac etiam dicte sedis. Alioquin sententiam etc. ut in alia.

In eodem modo archiepiscopo Coloniensi. Plantans etc. ut in prima usque deputando viros nobiles diversis meritis precellentes, qui siquidem viri sanis etc. verbis competenter mutatis usque mandantes, quatenus devote suscipiens impositum a domino tibi onus et submittens fortitudinis tue collum ad hujusmodi sollicitudinis sarcinam, mente stabili deferendam, curam ipsius ecclesie diligenter geras et salubriter ac utiliter exequaris, ita quod ipsa ecclesia sub tua vigilantia votivis amplietur comodis et optatis augmentis domino cooperante consurgat. Sciens pro certo, quod, quanto celebrior est titulus tue nobilitatis, tanto gloriosius tibi erit, si alios in Christi ministerio superas sanctitate, quos generositate transcendis, si Christo et hominibus placere studueris non in multitudine divitiarum, sed gratiarum, non tam in ornatu supellectilis, quam virtutis, si exhibueris te rigidum superbis, benignum humilibus, penitentibus misericordem et inflexibilem obstinatis, Johannem incestuosis, Mathatiam apostatis, fornicatoribus Phineem, Helyam ydolatris, Petrum mentientibus, blasphemis Paulum et negotiantibus Christum. Erit enim per hec conversatio tua tam apud deum, quam homines gloriosa. Datum ut supra.

In eodem modo populo civitatis et diocesis Coloniensis. Plan-

tans etc. usque deputando viros nobiles diversis meritis precellentes, qui sanis etc. verbis competenter mutatis usque animarum vestrarum humiliter intendatis etc. usque observando, ita quod in vobis devotionis repperisse filios sibi vertatur in gaudium, et vos in eo patrem habeatis assidue gratiosum. Datum ut supra.

In eodem modo nobilibus viris universis ministerialibus et vassallis Coloniensis ecclesie. Plantans etc. usque deputando viros nobiles diversis meritis precellentes, qui sanis etc. ut in prima verbis competenter mutatis usque honorem ei, tamquam vestro domino temporali, homagium et juramentum fidelitatis debite absque difficultate qualibet impendatis, ipsius debita mandata suscipiendo devote ac humiliter observando. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles et penam, cui temporaliter ac debite submittet eosdem, ratas habebimus etc. usque observari. Datum ut supra.

11.

Urbanus IV. confirmat electo Ebredunensi donationes et privilegia, facta a Willelmo rege Romanorum. cf. Nr. 213. ***Apud Urbem veterem, 1263 Febr. 13.***

Electo Ebredunensi. Ecclesie tue profectibus paternis studiis intendentes, circa promotionem eorum eo libentius et efficacius operam impertimur, quo personam tuam majori prosequimur gratia caritatis. Cum enim gratiosis tuis exigentibus meritis apostolicum favorem tibi multipliciter vendicasse noscaris et alias in conspectu nostro quamplurimum habearis acceptus, petitiones tuas gratanter ad gratiam exauditionis admittimus, presertim illas, que honoris et commodi tui et ejusdem ecclesie respiciunt incrementum. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus, quod clare memorie Willelmus, rex Romanorum, attendens grata obsequia, que venerabilis frater noster, Henricus Ostiensis episcopus, tunc archiepiscopus Ebredunensis, antecessor tuus, in suis et imperii negotiis prudenter et fideliter impendebat, civitatem Ebredunensem, castra, villas, oppida, possessiones, feuda, servitia, census, pensiones, justitias, laudismia, pedagia, tholonea, jura, dominia et quasi dominia ceteraque bona corporalia et incorporalia cum omnibus pertinentiis suis, que idem archiepiscopus vel sui predecessores in Ebredunensi, Vapincensi et Taurinensi diocesibus, quocumque modo vel titulo adepti fuerant, vel que dictus archiepiscopus et successores ejus possent in posterum adipisci, nec non privilegia, donationes et libertates Ebredunensis ecclesie, ac predecessoribus ipsius archiepiscopi ab antecessoribus dicti regis, imperatoribus seu regibus, vel aliis qui-

buscumque concessa. Insuper etiam merum et mixtum imperium, jurisdictionem omnimodam, adempra, quistas, tallias vel exactiones consuetas, que de jure fieri possent in eisdem locis, per eundem regem vel de mandato suo, eidem archiepiscopo suisque successoribus habenda, possidenda, tenenda, regenda, percipienda, petenda, defendenda, exequenda et exercenda, per se vel per alium seu alios, pleno jure, libere et quiete, nulla prescriptione currente vel obstante, aut etiam usu contrario vel non usu, nec non potestate faciendi seu creandi tabelliones publicos, quorum instrumentis plena fides debeat per totum imperium adhiberi, ac nonnullas alias libertates et immunitates sub diversis nominibus et articulis comprehensas, liberaliter motu proprio donavit atque concessit, et que prefati archiepiscopus seu predecessores ejus antea in predictis locis habuerant, eis auctoritate regia ex certa scientia confirmavit, prout in privilegio inde confecto, typo munito regio, plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, donationem, concessionem et quicquid provide per eundem regem in hac parte factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica, ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem dicti privilegii de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est. Wilelmus dei gratia Romanorum rex, semper augustus. Universis imperii fidelibus has litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Consuevit liberalitas culminis nostri principes et magnates imperii gratis beneficiis ac dignis honoribus exaltare, promotionibus ipsorum favorabiliter insistendo, ut ad obsequendum nobis facilius inducantur. Sed et celsitudinis nostre requirit honestas, ut ecclesiarum dei exaltationibus, desiderabiliter et efficaciter intendere debeamus earumque libertates extendere et, cum in hiis optima mensura sit immensitas, de regie benignitatis munificentia, affluenter et liberaliter elargiri. Significandum itaque duximus universis et singulis tam presentibus, quam futuris, ut, quia dilectus princeps noster Henricus, sancte Ebredunensis ecclesie venerabilis archiepiscopus, de mandato domini pape Innocentii quarti, sanctissimi patris nostri, ecclesiam Ebredunensem ac omnia sua relinquens agenda, in sancte matris ecclesie, nostrum et imperii obsequium, nuper ad tempus se transtulit, in eodem nobis videntibus et audientibus prudenter et fideliter elaborans, civitatem Ebredunensem, castra, villas, oppida, possessiones, feuda, servitia, census, pensiones, justitias, laudismia, pedagia, tholonea, jura, dominia et quasi dominia, et omnia alia bona corporalia et incorporalia, cum pertinentiis suis omnibus, que idem archiepiscopus vel predecessores sui in Ebredunensi, Vapincensi et Taurinensi diocesibus jure institutionis, mortuariorum, legatorum, relictorum, judicationis pro anima, donationis, emptionis, permutationis aut alio quocumque

nomine, titulo seu modo, inter vivos seu mortuos hactenus adepti sunt vel dante domino idem archiepiscopus vel successores sui poterunt in posterum adipisci, de quibus per tres vel duos testes vel litteras, sigillo autentico sigillatas, poterit fides fieri, sed et illa, que dicti archiepiscopus vel predecessores sui vel alii ipsorum nomine tenuerunt a tempore, cujus non extat memoria, nec non et privilegia omnia, donationes et libertates predicte ecclesie Ebredunensi ac predecessoribus ipsius archiepiscopi a nostris antecessoribus, imperatoribus seu regibus, vel ab aliis quibuscumque concessa vel quibus hucusque usi sunt. Insuper merum et mixtum imperium et jurisdictionem omnimodam, adempra, quistas, tallias vel exactiones consuetas vel que de jure fieri possent in eisdem locis vel per nos vel de speciali mandato nostro vel quas dictus archiepiscopus vel successores sui necessitate vel utilitate sua vel ecclesie sue pensata voluerint. Demum omnia alia, ad predictos quoquomodo nunc vel in posterum spectantia, eidem archiepiscopo ac suis successoribus habenda, possidenda, tenenda, regenda, percipienda, petenda, defendenda, exequenda et exercenda per se vel per alium seu alios pleno jure, libere et quiete, nulla prescriptione currente vel obstante, aut etiam usu contrario vel non usu, id est quod hoc privilegio usus non fuerit, sicut melius, utilius et plenius ad utilitatem dictorum archiepiscopi et ecclesie et successorum suorum declarari, exponi seu intelligi potest, de providentia consilii nostri supradicta ponderantes et considerantes, liberaliter et motu proprio donamus atque concedimus et que antea habuerant ex certa scientia, auctoritate regia confirmamus. Non obstantibus in premissis vel infrascriptis vel ipsorum aliquo, quod consensus dominorum, a quibus in feudum vel emphyteosim vel alio quocumque modo, titulo seu nomine res vel bona predicta tenebantur vel tenentur vel tenebuntur, non fuerit habitus vel etiam requisitus, vel quod provide non fuerit datum laudismium seu trezenum vel pars pretii data seu reddita quocumque nomine censeatur vel quod lite pendente seu discordia mota, dicatur hoc privilegium impetratum, vel jure dicente, quod, sine consensu dominorum vel illorum, a quibus res tenentur, predicta alienari vel onerari vel in potentiorem transferri non possint et specialiter illis legibus, rescriptis et sacri affatus et constitutionis, que dicit, quod privilegia renovari debeant, et generaliter omni vel aliquo jure generali vel speciali, usu, consuetudine seu statuto, indulgentia, libertate, rescripto etiam imperiali seu regali vel privilegio, cuicumque vel quibuscumque concessis, impetratis vel impetrandis, quamvis de ipsis specialem et expressam etiam de verbo ad verbum in presentibus oporteat fieri mentionem contrariis vel aliquo alio, per quod supradicta vel infrascripta vel ipsorum aliquod in totum vel in partem infringi vel revocari, differri, perturbari

vel impediri possent aliquatenus vel deberent, adeo quod in supradictis vel infrascriptis vel ipsorum aliquo nec nostra nec successorum nostrorum imperatorum seu regum secunda jussio expectetur, sed in continenti fides adhibeatur, et executioni mandentur cuncta cum effectu sine quolibet obstaculo et irrevocabiliter plenissimam habeant roboris firmitatem. Ad hec ex uberiori gratia adicientes nichilominus supradicto archiepiscopo et ecclesie sue, nec non clero, civibus et habitatoribus dictorum locorum vel in eis vel eorum territoriis aliqua bona se moventia, mobilia vel immobilia, corporalia vel incorporalia qualitercumque possidentibus, seu quasi universis et singulis et successoribus eorum et posteris omnibus universalibus et singularibus, realibus, personalibus vel mixtis, hanc facimus gratiam specialem et concedimus libertatem ac perpetuam immunitatem damus, ut ab omnibus muneribus et oneribus publicis, communibus seu privatis realibus, personalibus aut mixtis et aliis talliis, quistis, adempris, exactionibus et collectis patriarum, civitatum seu provinciarum sive consistant in angariis, perangariis sive patrimonialibus vel aliis quibuscumque et ex quacumque causa, que fieri seu exigi consueverunt vel fieri seu exigi contingerent per quamcumque personam seu personas publicas seu privatas, maximas, medias vel minimas vel quascumque alias contra inhibitionem predicti archiepiscopi vel successorum suorum faciendis vel requirendis vel attemptandis sint quoad personas et res et bona omnia, ad supradictum archiepiscopum et ecclesiam suam vel successores suos qualitercumque nunc et in posterum pertinentia, in perpetuum liberi et immunes penitus et exempti. Ipse tamen archiepiscopus et successores sui possint, sicut nos possemus, supradicta et infrascripta omnia et singula facere et exercere et exigere plene et libere sine obstaculo quolibet, quandocumque et quotiescumque eis videbitur expectare. Concedimus etiam eidem archiepiscopo et successoribus suis, quod possint facere et constituere tabelliones publicos et sollempnes, quorum instrumentis per totum imperium fides plenissima adhibeatur. Instrumenta etiam seu litteras, bulla seu sigillo ejusdem archiepiscopi vel successorum suorum vel curie sue vel capituli sui sede vacante vel etiam instituta in contractibus vel negotiis, dictos archiepiscopum et ecclesiam vel successores suos tangentibus, munita, fidem plenissimam et probationem faciant ac si confecta essent per manum publicam, et idem intelligimus de instrumentis seu litteris, temporibus predecessorum suorum confectis et sigillis eorumdem munitis, districtius inhibentes, ne quis de civitate Ebredunensi vel castris vel locis, dictorum archiepiscopi et ecclesie habitis vel habendis, utatur aliis instrumentis, quod si fecerit, nullam habeant firmitatem. Insuper sepedicto archiepiscopo et successoribus suis concedimus, quod per totum regnum Arelatense et Viennense

per se vel per alium seu alios possint jurisdictionem voluntariam etiam in modum arrogationis vel legitimationis plenissime ac libere exercere. Errorem etiam seu defectum, si quis est vel fuerit in predictorum acquisitione vel retentione vel in presenti nostro privilegio vel aliqua parte sui, seu etiam de facto vel de jure notari vel inveniri posset ab aliquo sicut ad utilitatem dictorum archiepiscopi et ecclesie et successorum suorum ab aliquo melius, plenius et utilius interpretari, specificari, exprimi aut declarari posset vel intelligi, proprio motu et ex certa scientia, de plenitudine potestatis supplemus et interpretari et intelligi volumus et mandamus. Non obstantibus supradictis vel eorum aliquo aut quolibet alio, quod in contrarium allegari seu dici posset vel etiam cogitari. Mandamus igitur sub interminatione gratie nostre, districte precipientes, ut omnes et singuli universa et singula supradicta curent sine diminutione aliqua integraliter observare et efficaciter adimplere et nullus sit, quod predicta vel aliquod predictorum, a nostra serenitate eis tam liberaliter concessa, audeat infringere vel ea vel ipsorum aliquod in eorum lesionem vel jacturam seu prejudicium retorquere, si vellet eodem jure uti etiam contra ipsos vel eis in parte vel in toto alterius ingenii vel cavillationis scrupulo vel juris seu facti dubio contraire vel in bonis, possessionibus aut rebus eorumdem dampnum aliquod vel injuriam irrogare. Quod qui facere presumpserit, gravem offensam nostre celsitudinis et majestatis indignationem se noverit incursurum. Insuper etiam pro solo conatu in reatus sui penam centum libras auri solvat, medietatem camere nostre, reliquas injuriam passis, prout est hactenus imperio consuetum. Ad harum autem gratiarum, donationum, concessionum, confirmationum et libertatum nostrarum evidentem memoriam ac robur in posterum valiturum hoc presens privilegium conscribi et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri. Datum Colonie in domo . . . prepositi ecclesie sancti Georgii per manum Henrici venerabilis electi Spirensis, sacri imperii cancellarii anno ab incarnatione domini M^{o}. CC^{o}. LI°. indictione VIIII^{a}. XVIII. kal. Januarii anno regni nostri quarto. Testes, qui interfuerunt, sunt hii. Jacobus ecclesie Laudunensis archidiaconus, Eberhardus prepositus Fuldensis, notarius noster, Emetho de Liningen, Otto de Nassowe, Gaucho, Silvester, Henricus de Willenowe comites, Godefridus de Eppenstein, Wernerus de Bolandia et quamplures alii clerici et laici. Et ego Henricus electus Spirensis sacri imperii cancellarius vice domini Gerardi electi Moguntini, sacri imperii per Germaniam archicancellarii, recognovi et per manum Werneri scriptoris canonici Wetslariensis ecclesie, Treverensis diocesis, qui hoc privilegium scripsit, hanc subscriptionem vice mea apponi feci. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu teme-

rario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem, id. Februarii anno secundo.

12.

Urbanus IV. hortatur Riccardum in Romanorum regem electum, ut Henrico regi Anglie presto sit. cf. Nr. 282. **Apud Urbem veterem, 1263 Sept. 16.**

Carissimo in Christo filio Riccardo in Romanorum regem electo. Habet hoc, fili carissime, populi communis assertio et generalis fere omnium id tenet opinio, quod procellosa fluctuatio tempestatis, que solidum regni Anglie solium concutit, est hoc tempore contra carissimum in Christo filium nostrum H(enricum) illustrem Anglorum regem, germanum tuum, te permittente ac dissimulante, ne dicamus procurante, commota. Cum enim persona tua illustris et inclita, multe discretionis aliarumque virtutum gratia vigeat ac magno et amplo seculari potentatu premineat et divitiis affluat ex habundantia facultatum, nec sit in regno Anglie aliquis, qui te prohibente arma levare presumeret vel contra dictum regem aliquid inconveniens cogitare, quedam contra magnitudinem tuam ex sola tanti dissimulatione flagitii oritur in mentibus omnium sinistra suspitio, quod a te hujusmodi error, cui per tuam potentiam non resistitur, approbatur, quodque non cares scrupulo societatis occulte, dum tam manifesto facinori obviare desistis. Licet autem hec et alia gravia de te circa hujusmodi negotium nostris frequenter auribus inculcentur, nos tamen habentes recta consideratione respectum ad preterita tempora, in quibus in omni devotionis et fidei genere tua laudabiliter studia exercuisse te novimus et sub quorum diversitate famam tui honoris et nominis gloriosis actibus et gestis magnificis et in cismarinis et in transmarinis partibus sollempnem et celebrem reddidisti, nullatenus credere possumus, quod princeps tam catholicus, tam fidelis, tam pius, tam misericors, tam benignus, sanguinis violato federe, sic negligenter toleret, ut frater innocens opprimatur sicque patienter sustineat, ut regii culmen honoris deprimatur in ipso et regalis in eo dignitatis fastigia prosternantur. Absit enim, christianissime princeps, ut in mentem nostre credulitatis ascendat, quod tui sacrarium pectoris, quod totius devotionis et fidei esse consuevit armarium, tam detestande tamque abhominabilis machinationis habitaculum statuatur. Absit, ut fama volatilis, sic sue suggestionis jaculis nostre contra te conscientie penetralia vulneret, ut credi possit a nobis, quod fraternus amor, quo dictum regem ab annis prosecutus es teneris, defectus in te, tam deformis tamque

notabilis, hiis diebus dispendia sentiat et detrimenta, tam tenebrose, tam obscure, ac tam horribilis ecclypsis incurrat. Absit etiam, ut rationis nostre judicium illis narrationibus fidem adhibeat, per quos tota tibi hujusmodi tempestas turbationis imponitur ac fratris et nepotum tuorum exheredatio tue prorsus ascribitur libito voluntatis. Verum quia tuis et progenitorum tuorum claris exigentibus meritis fervidi sumus et esse tenemur tue fame perspicue tuique clari nominis zelatores, nos diligentius attendentes, quod rumor hujusmodi ex crebra multorum relatione jugiter invalescit ac pati nolentes, quod tue oculate circumspectionis industria non reddatur per apostolice insinuationis eulogium in hiis pervigil et attenta, serenitatem tuam, quam prosperis semper cupimus habundare successibus, sollicitandam, rogandam attente duximus et hortandam, quatenus premissa omnia infra tui claustra pectoris attenta meditatione revolvens et considerans, quod oportet tuam magnificentiam super hiis pro tui famosi conservatione nominis aliter providere, ob reverentiam apostolice sedis et nostram tuumque honorem, in dicti regis auxilium sic magnifice, sic potenter et patenter exurgas, ut dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum ejusque innocentiam persecuntur. Nam cum hoc de facili facere posse credaris, nisi statim feceris et curaveris adhibendo tuam strenuam in hac parte potentiam, ut in dicto regno statum resumat pristinum, regie dominium potestatis, magni procul dubio sarcina ponderis, tuis humeris imponetur, sub quo robusta tue fame terga succumbent nec diebus tuis ab illa poterunt relevari. Expedit ergo, ut taliter in hac parte monitis nostris obtemperes, quod honor tuus, pro cujus acquisitione sumptus inextimabiles effudisse dinosceris, illesus conservetur et integer et hujusmodi exorta contra te infamia decidat ac nobis, qui ferventi desiderio cupimus de tuis processibus audire magnifica, multiplicatus accrescat exinde cumulus gaudiorum. Datum apud Urbem veterem, XVI. kal. Octobris anno tertio.

13.

Urbanus IV. electo Bambergensi palleum transmittit. cf. Nr. 367.
Apud Urbem veterem, 1264 Mart. 18.

Sancti Pauli in Lavento, sancti Benedicti et . . . de Victoria Cisterciensium ordinum monasteriorum abbatibus Salzeburgensis diocesis. Dilectus filius . . . . electus Bambergensis per dilectum filium Ottonem, cellararium ecclesie sancte Marie Bambergensis, nuntium suum, palleum, insigne pontificalis officii, a nobis cum ea, qua decuit, instantia postulavit. Nos igitur suis postulationibus annuentes, palleum ipsum, de corpore beati Petri sumptum, per

vos sibi assignandum, vobis per eundem nuntium destinamus, ut eo infra ecclesiam suam illis diebus utatur, qui expressi in ejusdem ecclesie privilegio continentur. Quocirca mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, palleum ipsum electo predicto assignare curetis juxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, ab eodem nichilominus fidelitatis juramentum nostro et ecclesie Romane nomine juxta formam, quam vobis sub eadem bulla transmittimus, recepturi, nichilominus injungentes eidem, ut juramenti tenorem, quod ipse prestiterit nobis, sub suo sigillo per proprium nuntium quantocius destinare procuret. Datum apud Urbem veterem, XV. kal. Aprilis anno tertio.

14.

Urbanus IV. mandat Nicolao Caputio et Jordano canonicis, ut studeant, ut summe quedam, ab Andrea et Jacobo et mercatoribus Romanis diocesi et provincie Coloniensi mutuate, impendantur. cf. Nr. 371. ***Apud Urbem veterem, 1264 Mart. 28.***

Nicolao Caputio canonico Remensi et Jordano signorilis canonico ecclesie Gerboredensis Belvacensis diocesis, Parisiis commorantibus. Dilecti filii Andreas et Jacobus Crescentii Nicolatti fratres, cives et mercatores Romani, nostri et ecclesie Romane devoti, nobis significare curarunt, quod licet ipsi suo et Bartholomei Crescentii fratris sui nomine, venerabili fratri nostro archiepiscopo Coloniensi et nonnullis suffraganeis ipsius ac abbatibus, prioribus, conventibus et capitulis, communitatibus, comitibus, baronibus, militibus ac quibusdam aliis clericis et laicis civitatis et diocesis ac provincie Coloniensis quasdam pecuniarum summas mutuarint, certis eis locis et terminis persolvendas eisdem comitibus, baronibus, communitatibus et laicis, se summittentibus super hoc jurisdictioni ecclesiastici judicis nec non archiepiscopo, suffraganeis, abbatibus, prioribus, conventibus, capitulis, clericis et aliis omnibus supradictis, constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et multis et diversis exceptionibus ac quibusdam aliis renuntiantibus, prout in instrumentis et litteris inde confectis expresse ac plenius dicitur contineri, nondum tamen est eis de hujusmodi pecuniarum summis satisfactum, quanquam solutionum termini sint elapsi, propter quod dampna gravia et expensas se asserunt incurrisse. Quocirca mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios hujusmodi debitores, eorum veritate cognita de premissis, quod de dictis pecuniarum summis, in quibus tenentur eisdem, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus debitam eis satisfactionem infra tres menses post mo-

nitionem vestram, prout exigunt litterarum et instrumentorum ipsorum justi et rationabiles tenores, impendant, ex parte nostra monere et inducere studeatis. Quod si infra tempus hujusmodi vestris non acquieverint monitis et inductionibus in hac parte, vos extunc in ipsorum debitorum et majorum de conventibus, capitulis et communitatibus prefatis personas excommunicationis, in conventus vero, capitula et communitates, que contumaciter monitis vestris duxerint resistendum, vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios interdicti sententias promulgetis et faciatis excommunicatos hujusmodi ab aliis artius evitari. Si vero per mensem easdem sententias sustinuerint animo indurato, eas usque ad satisfactionem condignam, ubi et quando expedire videritis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciatis sollempniter publicari. Non obstantibus si dictis archiepiscopo, suffraganeis et aliis quibuscumque a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra suam provinciam vel diocesim aut alia certa loca ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ac predicta constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad judicium non trahatur et illa, quam felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, edidisse dinoscitur, de aliquibus per generalem clausulam quidam alii ultra quatuor ad judicium non trahendis sive qualibet alia indulgentia predicte sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, proviso, ut quoad pontificali dignitate preditos in processu, si quis fuerit contra eos habendus, gradus et modestia juxta constitutionem felicis recordationis Alexandri pape, predecessoris nostri, omnino servetur. Datum apud Urbem veterem, V. kal. Aprilis anno tertio.

15.

Clemens IV. mandat Ottobono s. Adriani diacono cardinali, ut citet Riccardum in regem Romanorum electum, ut apostolico se conspectui representet. cf. Nr. 529. **Viterbii, 1266 Apr. 30.**

O(ttobono) sancti Adriani diacono cardinali apostolice sedis legato. In negotio imperii, in quo carissimi in Christo filii nostri A(lfonsus) rex Castelle ac Legionis illustris et Riccardus, in Romanorum regem electi, jus sibi per electiones, quas de se celebratas asserunt, vendicant a felicis recordationis Urbano papa, predecessore nostro, dudum sub certa forma citatio emanavit, ut iidem electi coram eodem predecessore per procuratores idoneos certo termino comparerent. Et

demum in hujusmodi termino venerabilis frater noster Martinus Legionensis episcopus et dilecti filii, magistri Johannes Alfonsi capellanus, noster archidiaconus Compostellanus, et Radulfus de Podio Bonizi, comparentes coram predecessore ipso pro nominato rege, a quo super hoc sufficiens mandatum habebant, inter alia petierunt eundem regem ad suscipiendum de ipsius predecessoris manibus imperii diadema vocari et juxta petitiones alias porrectas ab ipsis et tunc in eorundem predecessoris et fratrum presentia repetitas in negotio predicto procedi, adverse partis absentia non obstante. Verum dilecti filii, magister Guillelmus Roffensis archidiaconus et Guillelmus de Corneria, capellani nostri, ac Robertus de Baro, qui alias pro eodem electo hujusmodi negotium fuerant prosecuti, quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis litteris ejusdem electi absentiam, cujus causas turbationem, videlicet regni Anglie ac alias dicebant esse notorias, excusantes allegabant multimodis eo absente ac taliter impedito, non esse in dicto negotio procedendum. Predictus autem predecessor hiis et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis et cum predictis fratribus plena deliberatione discussis, deliberavit cum eisdem fratribus tunc in dicto negotio processum suum, quo ad ea, que premissa citatio continebat, ex premissis et aliis justis causis et evidentibus sustinendum. Et ideo juribus partium et ipso negotio in omnibus et per omnia in eo statu, in quo tunc erant, omnino manentibus, terminum usque ad annum computandum a festo beati Andree apostoli, tunc venturo proximo, prorogavit. Et licet in termino ipso per eundem predecessorem taliter prorogato et etiam propter ipsum, nominatus magister Radulfus, notarius, nuntius et procurator regis predicti, comparuerit coram nobis petens instanter, sicut et alias petierat per nos in negotio ipso procedi, nos tamen diligentius attendentes, quod, etsi finitus esset a dicto predecessore omnis numerus edictorum, decens tamen est et juri consonum, quod unum saltem a nobis emanet edictum, providimus non esse ad presens in prefato negotio procedendum illudque usque ad diem Veneris propter festum Epyphanie domini proximo venturum, immediate sequentem suspendimus ac predictis electis diem ipsam duximus juxta prescriptum modum in prorogatione dicti termini per prefatum predecessorem, ut predicitur, facta contentum pro peremptorio termino assignandam. Quocirca mandamus, quatenus prefatum R. in Romanorum regem electum per te vel per alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut usque ad predictam diem per se vel procuratorem idoneum, ad premissa sufficienter instructum, apostolico se conspectui representet. Diem autem citationis et formam et quicquid inde feceris, nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas intimare. Datum Viterbii, II. kal. Maji anno secundo.

16.

Clemens IV. publicat processum, contra Conradinum ejusque fautores Viterbii publice habitum. cf. Nr. 556. ***Viterbii in cathedrali ecclesia, 1266 Nov. 18.***

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Quam propenso consilio quamque justo judicio felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, quondam Fridericum, olim Romanorum imperatorem, suis exigentibus culpis enormibus et manifestis excessibus imperialis honore solii, regno Sicilie, ducatu Apulie ac principatu Capue incommutabili diffinitione, generali concilio super hoc congregato Lugdunum approbante, privarit, in omnem terram exiisse ac in fines orbis terre credimus divulgatum. Nec minus patere credimus, qualiter idem Fridericus, licet sic juste sit exacta maturitate depositus, sententie privationis hujus late in eum pertinaciter parere contempnens, predicto regnum et imperium post eandem sententiam temere detinuit occupata. Qualiter post ipsum quondam Conradus natus ipsius idem regnum presumptione temerario occupavit. Qualiter, eodem C. sublato de medio, ad idem regnum iterum occupandum predo impudentior insurrexit, videlicet quondam Manfredus, olim princeps Tarentinus, ejusdem Friderici, ut dicitur, filius de dampnabili commixtione susceptus, quem licet legitime successionis expertem reddiderint illegitime nativitatis initia, secundum tamen habuerunt ejusdem sui patris vitia successorem. Hii quidem omnes et singuli tante presumptionis, immotam presumptuose occupationis injuria non contenti, suam in persecutione ecclesie dilatavere nequitiam, et tam Fridericus, quam Manfredus predicti ad aliam terram ipsius ecclesie manus temerarias nequiter extendentes, eandem ecclesiam precipue in suis fidelibus diutius afflixerunt. Sed misericors dominus ecclesie ipsius miseratus angustias eique post dire ac dure persecutionis ipsorum tyrampnidem pacem parans, eisdem omnibus et aliis ejusdem Friderici filiis successive miserabili sorte succisis, immo se, ut fertur, sine misericordia et humanitate cedentibus, domum ipsius Friderici tanti hactenus nominis sic personis habundantem adeo in radice arefecit et ramis, quod de illa unica sola scintilla remansit, Conradinus videlicet, memorati Conradi filius, etatis adhuc tenere, sed malitie, sicut fida relatione didicimus, premature. Cujus profecto paterna congauderemus affectione profectibus, si a predecessorum suorum inviis sano consilio devians virtutum semitas consultius sequeretur, si eundem Fridericum avum suum merito, suis exigentibus meritis, immo demeritis, reprobatum, in suis non satageret imitari vitiis, nec ausu temerario moliretur infringere, que memoratus predecessor exigente

justitia contra eundem avum multis spectata oculis, multis probata sensibus, multis insuper in tuto locatis consensibus in eodem, ut premisimus, concilio diffinivit. Sed ecce jam prodit in publicum non transfusa cum semine progenitorum iniquitas, sed ad nepotem improvidum per avite potius magnitudinis ambitum, cujus illi semper refricatur memoria, temere propagata. Ecce nimis prepropere tumidus adolescens ultra seipsum erigitur, jam ambire fertur imperium, jam sibi Sicilie regnum, intitulans se regni ejusdem regem, denominat et cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Tuscis, Marchianis et Apulis, precipue de regno predicto profugis, quos de regno ipso sola conscientia et propria malitia effugavit, fraudulentis se implicando commerciis, in Urbem, Lombardiam, Tusciam et per alia loca diversa litteras suas disseminat sub sui expressione nominis et intitulatione premissa typario regie majestatis impressas, sicut nos litterarum Conradini ejusdem inspectio fide docuit oculata, per quas commovere populum et turbare pacem ecclesie nititur, in nostrum, ecclesie ipsius et carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris prejudicium et discrimen. Nos itaque non personam persequentes, sed odio perfecto ipsius odientes malitiam et perversorum suorum conatuum initiis occurrentes, presente hac fidelium multitudine, de fratrum nostrorum consilio, eidem Conradino districte precipimus, ut a premissis prorsus abstineat, districtius inhibentes, ne similia usurpet aut presumat ulterius, solerter advertens, quante sit temeritatis quantumque coercione dignum legum sanctio censeat, falso nedum regium nomen assumere, sed etiam simplicis magistratus et potestatem ecclesie diligentius attendens, que, sicut ejusdem avum justo judicio nudavit imperio, regno Sicilie ceterisque premissis, sic et eum immo multo facilius, regni Jerosolimitani honore aliisque dignitatibus, bonis et juribus, si qua habet, procul dubio nudare poterit et justitia suadente nudabit, nisi consilio sibi meliore provideat et sedis apostolice beneplacitis se coaptet. Prohibemus insuper universis et singulis Christi fidelibus, ne predicto Conradino ut regi Sicilie scribant, nec ab ipso litteras velut a rege aut sub premissis intitulatione, denominatione vel impressione recipiant, neve in eum ut in Sicilie regem intendant nec cum armis vel sine armis, facto vel verbo aut alias quomodolibet ad turbandam ecclesie Romane pacem vel contra predictum regem Sicilie prestent ei consilium, auxilium vel favorem. Specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italie prohibemus expresse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini se supponant aut eum vel pro eo seu in favorem ipsius alium in potestatem vel rectorem, quocumque nomine censeatur, admittant, vel ei aut alii pro ipso seu in favorem ipsius dominium aut posse ali-

quid in se, districtus, aut terras suas quocumque ingenio aut machinatione concedant, nec societatem, conjurationem aut fedus aliquod ineant cum eodem aut alio, in auxilium vel favorem ipsius. Qui vero contra premissa vel aliquid premissorum per se vel per alium quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione fecerint, cujuscumque sint preeminentie, dignitatis aut status excommunicationis sententia, quam in eos ex nunc ferimus, ipso facto se noverint innodatos. Aperte quoque predicimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus prelatis, quod, si contra premissa venire presumpserint, nos eos omni ecclesiastice dignitatis honore privabimus, prout nobis facti qualitas et justitia suadebit. Reliquos vero clericos non prelationis officium, sed forsan dignitates, personatus aut alia quevis ecclesiastica beneficia obtinentes et obtentis privare curabimus et inhabiles reddere ad alia obtinenda. Laicis vero cujuscumque preeminentie, dignitatis aut status et precipue temporali jurisdictioni ecclesie Romane subjectis denuntiamus expresse, quod, si hujusmodi nostram inhibitionem, contra eam vel per se vel per alium temere veniendo, non curaverint exacta diligentia observare, nos non intendentes preterire tam grandis temeritatis audaciam impunitam, ipsos omnibus feudis et aliis, que ab ecclesiis ecclesiasticisve personis obtinent, privare curabimus et vassallos eorum, si quos habent, a fidelitatis juramento, quo tenentur eisdem, penitus absolvemus et, personis ipsorum citra periculum mortis et mutilationis expositis, sic exponemus bona etiam eorumdum, ut illa libeat cuilibet occupare. Civitates quoque, communitates et universitates quaslibet, que prefatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione temptaverint, volumus interdicti ecclesiastici sententie, quam ex nunc in eos ferimus, subjacere. Ceterum quia memoratus Conradinus suis, ut predicitur, terminis non contentus, ambitionem suam ad imperium obtinendum extendit, nos volentes ipsius ambitum freno repressionis ac comode cohibere, omnibus et singulis principibus Alamannie, vocem habentibus in electione regis Romanorum in imperatorem postmodum promovendi, super hoc litteras nostras direximus subterannexi tenoris, quoad aliquos verbis mutatis aliquibus, prout personarum qualitas exigebat. Tenor autem predictus talis est. Clemens episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi salutem et apostolicam benedictionem. Fundata domus domini super immobile fundamentum, quo secundum apostolum aliud ponere nemo potest, a columpnis stabilibus, sub decenti locatis ordine, pulchritudinem recipit et splendorem, quarum implent officium, qui, plantationis ecclesiastice ministerium assecuti, spirituale sustinent edificium et venustatem. Inter hos sane, quanto in credita tibi provincia locum obtines celsiorem,

quanto structure pondus sustines amplioris, tanto te decet quantitate majori in omnibus et per omnia stabiliri, ut nec nutes nec devies a rectitudine tui status, ne dilapsus in partem alteram eo ruas periculosius, quo tecum plures traheres ad ruinam. Verum ad justi pariter et honesti soliditatem propositi, preter commune debitum, quo te deo vehementer adstrictum intelligis, cujus in ministerii tui sortes vocatus in partem sollicitudinis, vicem geris, accumulata te nichilominus beneficia obligant, que cum aliis prelatis Alamannie a sede nosceris apostolica recepisse, cujus larga benivolentia, largitasque benivola tibi et illis hactenus semper affuit, et quasi fons indeficiens vobis et vestris ecclesiis gratiarum fluenta communicans, vos instruxit consiliis, roboravit auxiliis, vallavit presidiis et privilegiis honoravit. Justum est igitur et conveniens pietati, ut ad matrem levetis oculos universi, et curá pervigili studeatis ejus obviare periculis, que, si sua vel vestra dixerimus, sua tamen rectius dicemus et vestra cum dolente capite non sit in membris sanitas, nec maternis infixi visceribus, matre possint quiescere laborante. Ceterum quantum ecclesiam flagellaverit, quantum concusserit, quot pro bonis ei mala reddiderit domus impii quondam Friderici, olim Romanorum imperatoris, nedum ecclesiis et principibus Alamannie, notum existit, sed et mundo notum universo. Unde justo dampnatus judicio et tam imperii quam regni Sicilie jure pariter et honore privatus, diem miserabiliter claudens extremum, qui sui tenuem reliquit memoriam, cum sublatis e medio filiis, in domo tanti nominis, unica scintilla remanserit, etatis scilicet adhuc tenere, premature tamen malitie, prout fida relatione didicimus, Conradinus, cujus congauderemus profectui, si suis contentus juribus, reprobatum avum pro meritis, nollet in suis vitiis imitari nec ausu temerario moliretur infringere, que contra eundem avum exigente justitia felicis recordationis predecessor noster Innocentius multis conspecta oculis, multis conprobata sensibus, approbante sacro concilio diffinivit. Sed jam ecce prodit in publicum non transfusa cum semine patris iniquitas, sed avite potius ambitu magnitudinis, cujus ei sepe memoria refricatur, ad nepotem improvidum temere propagata sicque multum prepropere tumidus adolescens jam se scribit regem Sicilie, et cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Marchianis et Tuscis, Apulis etiam atque Sicilis fraudulentis se commerciis implicat, potestatem ecclesie non considerans, que sicut avum ejus nudavit imperio suis exigentibus meritis atque regno Sicilie, sic et eum jure ac honore regni Jerosolimitani aliisque dignitatibus, bonis et juribus, si que habet, privare poterit, nisi sibi consilio meliori provideat et sedis apostolice beneplacitis se coaptet. Porro non sine magna cordis amaritudine nuper accepimus, quod nonulli ex hiis principibus et

prelatis, ad quos jus pertinet eligendi Romanorum regem in imperatorem postmodum promovendum, in eam devenerunt audaciam, ut super electione Conradini ejusdem ad imperium, occultos audeant et apertos inire tractatus, sue salutis immemores, hostes justitie et quietis publice turbatores, cum deberent non solum attendere, quod assumere ineligibilem nulli licet, verum etiam diligenter advertere, quominus nunc eis personam quamlibet etiam omni exceptione majorem liceret eligere, maxime pendente duarum electionum negotio coram nobis, que fuerunt de carissimis in Christo filiis nostris .... rege Castelle et Riccardo comite Cornubie, in Romanorum regem electis per eos, ad quos jus eligendi pertinet in discordia celebrate. Hunc autem esse probat ineligibilem etatis infirmitas, que inhabilem eum efficit ad honores. Cumque etiam, si legitimum terminum attigisset, eum tamen eligi non deceret, qui de persecutoribus ecclesie manifestis, tam veteribus, quam modernis trahens originem, justa posset hac sola ratione repelli, quam tamen aggravat ipsius manifesta temeritas, qua se parat, ut evidentibus patet indiciis, ad Romanam ecclesiam contra se merito provocandam. Quocirca cum officio nostre servitutis incumbat, fraudibus et malitiis perversorum occurrere, ne, quod absit, neglecta valeant incendia vires sumere, que in ipsis initiis levius extinguuntur, nos in omnes et singulos cujuscumque dignitatis vel excellentie, archiepiscopalis etiam vel episcopalis, aut alterius ecclesiastice vel secularis existant, cujuscumque sint gradus, conditionis vel ordinis sive sexus, qui per tractatus publicos vel occultos seu quoscumque alios modos procurabunt dicti Conradini promotionem in Romanorum regem vel imperatorem, aut hujusmodi tractatibus consenserint vel hoc procurantibus dabunt consilium, auxilium vel favorem, et in omnes, qui ad id procurandum vel agendum convenerint, excommunicationis sententiam promulgamus et anathematis eos vinculo innodantes, terras eorum ecclesiastico subicimus interdicto. Si qui vero ad ipsius electionem processerint, si principes fuerint, eos et heredes eorum perpetuo omnibus feudis et honoribus, que ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis obtinent, et tam eos quam posteritatem eorum usque ad quartam generationem jure eligendi Romanorum regem apostolica auctoritate privamus et insuper eorumdem filios clericos usque ad quartam generationem reddimus prorsus inhabiles ad dignitates vel beneficia ecclesiastica obtinenda. Si vero electores hujusmodi prelati fuerint, ipso facto depositi ac nudati remaneant omni dignitate archiepiscopali et episcopali et omni ecclesiastico beneficio sine spe restitutionis aut gratie aliquo tempore obtinende. Omnes etiam, qui predicto Conradino astiterint vel eidem impenderint consilium, auxilium vel favorem contra carissimum in Christo filium nostrum C(arolum), verum regem Sicilie a sede apostolica constitutum, in

quo novum et nobile opus ecclesie favor divine dextere signis evidentissimis comprobavit, excommunicationis sententia innodamus. In omnes quoque, qui cum eodem Conradino vel pro ipso, aut in ejus auxilium contra ecclesiam vel prefatum Carolum Sicilie regem, in regnum Sicilie seu quecumque illius loca vel in Italiam seu quascumque Italie regiones vel partes accedere aut inibi dictum Conradinum juvare presumpserint, excommunicationis sententiam proferentes, terras ipsorum ecclesiastico supponimus interdicto, contra eos gravius processuri, prout excessus meruerit eorumdem. Licet autem de tue devotionis et fidei puritate firmam geramus fiduciam, quod in hiis et aliis tue providebis saluti et te nostris beneplacitis coaptabis, quia tamen calcar adhibitum equum admissum magis excitat, quam molestet, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus,. quatenus a predictis laqueis et periculis non solum tibi caveas, sed et alios, ne in ea possint incidere, reddas sollicite cautiores et has nostras sententias totumque presentium tenorem in tuis civitate, diocesi et provincia, convocatis clero et populo, facias singulis mensibus vel, si expedire videris, pluries publicari. Ut autem hujusmodi noster processus ad omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in hujus majoris ecclesie Viterbiensis civitatis appendi sive affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod nec idem Conradinus nec alii, quos processus ipse contingit, possint excusationem pretendere, quod ad eos non pervenerit aut ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam publice omnibus publicatur. Actum Viterbii in cathedrali ecclesia, XIIII. kal. Decembris anno secundo.

17.

Clemens IV. mandat G. tituli s. Laurentii in Lucina presbitero cardinali apostolice sedis legato, ut processum, contra Conradinum habitum, faciat publicare. cf. Nr. 559. **Viterbii, 1266 Dec. 17.**

G. tituli sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali apostolice sedis legato. Quam propenso consilio etc. ut in superiori proxima usque occurrentes, presente fidelium multitudine copiosa, apud Viterbium in octavis beati Martini proximo preteritis, de fratrum nostrorum consilio, eidem Conradino districte precepimus, ut a premissis etc. usque pluries videris publicari. Et licet nos cupientes hujusmodi nostrum processum ad omnium deduci notitiam, cartas sive membranas. processum continentes eundem, in majoris ecclesie

Viterbiensis civitatis appendi sive affigi hostiis seu superliminaribus fecerimus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicarent, ita quod nec idem Conradinus, nec alii, quos processus ipse contingit, possint excusationem pretendere, quod ad eos non pervenerit aut ignorarint eundem. Cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod est tam publice omnibus publicatum. Quia tamen in votis nostris geritur, ut de hujusmodi nostro processu notitia certior ac certitudo plenior habeatur et per hoc ad vitandas penas indictas seu sub comminatione contentas, in ipso major singulis cautela prestetur, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus processum ipsum totamque illius seriem in singulis civitatibus et aliis sollempnibus ceterisque tue legationis locis, in quibus id fieri utile fore putaveris, convocatis clero et populo singulis mensibus vel pluries, prout expedire videris, publices per te et per alios facias publicari. Datum Viterbii, XVI. kal. Januarii anno secundo.

18.

Clemens IV. Conradinum iterum citat, ut responsurus super excessibus suis apostolico conspectui se representet. cf. Nr. 569.
Viterbii in cathedrali ecclesia, 1267 Apr. 14.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Quia Conradinus, nepos olim Friderici, quondam Romanorum imperatoris, ad obtinendum Romanum imperium conatus sue presumptuose ambitionis extendens sibique presumptione temeraria Sicilie regnum intitulans se regem regni denominabat ejusdem et cum aliquibus inimicis ecclesie Lombardis, Tuscis, Marchianis et Apulis, precipue de regno predicto profugis, se fraudulentis commerciis implicans, ac in Urbe, Lombardia, Tuscia et per alia loca diversa litteras suas, sub sui expressione nominis et premissa intitulatione, typario regie majestatis impressas, sicut nos litterarum Conradini ejusdem inspectio fide docuit oculata, disseminans, turbare pacem ecclesie et commovere populum nitebatur in nostrum, ecclesie ipsius et carissimi in Christo filii nostri, Caroli, Sicilie regis illustris, prejudicium et discrimen, nos non personam persequentes, sed odio perfecto ipsius odientes malitiam et suorum perversorum conatuum initiis occurrentes, in festo dedicationis basilice apostolorum Petri et Pauli transacto novissime pontificatus nostri anno secundo, in hac majori ecclesia Viterbiensi, presente tunc multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio eidem Conradino districte precepimus, ut a premissis penitus abstineret, districtius inhibentes, ne similia ulterius presumeret aut quo-

modolibet usurparet, solerter advertens, quante sit temeritatis quantaque coertione dignum legum sanctio censeat, falso nedum regium nomen assumere, sed etiam simplicis magistratus. Et potestatem ecclesie diligenter attendens, que sicut eundem Fridericum, avum suum, justo judicio nudavit imperio, predicto regno Sicilie, ducatu Apulie et principatu Capue, sic et eum immo multo facilius regno Jerosolimitano aliisque dignitatibus, bonis et juribus, si qua forsan haberet, procul dubio nudare posset et nudaret, exigente justitia, nisi meliore sibi provideret consilio et sedis apostolice se beneplacitis coaptaret. Prohibuimus etiam universis et singulis Christi fidelibus, ne predicto Conradino sicut regi Sicilie scriberent, nec ab ipso litteras, velut a rege aut sub premissis intitulatione, denominatione vel impressione reciperent, neque in eum, ut in Sicilie regem intenderent, nec cum armis vel sine armis, facto vel verbo, aut alias quomodolibet ad turbandam ecclesie Romane pacem vel contra predictum regem Sicilie prestarent ei auxilium, consilium vel favorem. Specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italie prohibuimus expresse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini se supponerent aut eum vel pro eo, seu in favorem ipsius, alium in potestatem admitterent, vel rectorem, quocumque nomine censeatur, vel ei aut alii pro ipso, seu in favorem ipsius, dominium aut posse aliquod in se, terras aut districtus suos quocumque ingenio vel machinatione concederent, nec societatem, conjurationem seu fedus aliquod inire presumerent cum eodem aut alio in auxilium vel favorem ipsius. Illos vero, qui contra premissa vel aliquod premissorum, per se vel per alium, quocumque dolo, arte vel machinatione facerent, cujuscumque forent preeminentie, dignitatis aut status, excommunicationis sententiam, quam extunc in eos tulimus, incurrere voluimus ipso facto. Aperte quoque prediximus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus prelatis, quod, si contra premissa venire presumerent, eos omni ecclesiastice dignitatis privaremus honore, prout nobis facti qualitas et justitia suaderet. Reliquos autem clericos non prelationis officium, sed forsan dignitates, personatus aut alia quevis ecclesiastica beneficia obtinentes et obtentis privare et ad alia obtinenda inhabiles reddere curaremus. Laicis vero cujuscumque preeminentie, dignitatis aut status, et precipue temporali jurisdictioni ejusdem ecclesie Romane subjectis expresse denuntiavimus, quod, si hujusmodi nostram inhibitionem contra eam, per se vel per alium temere veniendo, exacta diligentia non servarent, ipsos omnibus feudis et aliis, que ab ecclesiis ecclesiasticisve personis forsitan obtinerent, privare ac vassallos eorum, si quos haberent, absolvere curaremus a fidelitatis juramento, quo tenerentur eisdem et personis

ipsorum citra periculum mortis et mutilationis expositis, sic exponeremus bona etiam eorundem, ut illa liceret cuilibet occupare. Civitates quoque, communitates et universitates quaslibet, que prefatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione temptarent, voluimus interdicti sententie subjacere. Verum memoratus Conradinus, nequaquam a progenitorum suorum iniquitate degenerans, sed ut de radice colubri se regulum probet egressum, licet illis impar viribus, licet potentia insufficiens, licet in premissis omni jure deficiens, illorum modo nequitiam ipsam, perversis, quibus potest imitando conatibus prosequens, precepta, inhibitiones et comminationes hujusmodi temerario ausu contempsit et, a premissis nequaquam abstinens, vicarios suos in Tuscia dicitur ordinasse ac, Sicilie se regem intitulans, litteris utitur sub intitulatione ac impressione predictis, et, ut terram in prejudicium dicti regis commoveat, scandala suscitet, ecclesie pacem turbet, inanis nominis gloriam usurpando, pro Sicilie rege se gerit, tanquam rex Sicilie dicti regni partitur officia, officiales instituit, multos sollicitat, aliquos promissionibus allicit, privilegia nonnullis indulget, quampluribus etiam dona in eodem regno concedit, sicut nos inspectio litterarum et privilegiorum hujusmodi, que ad manus nostras pervenerunt, instruxit. Attendentes itaque, quod ad cohibendam tante presumptionis audaciam non oportet nos esse sola prohibitione contentos, sed et penam transgressoribus justam inferre, universas et singulas inhibitiones, denuntiationes, comminationes et sententias supradictas, de fratrum nostrorum consilio innovantes, omnes illos, qui contra easdem inhibitiones, denuntiationes et comminationes temere veniendo, in prefatas sententias inciderunt et specialiter Podii Bonizi et Sancti Miniati castrorum incolas, Vulterane diocesis, qui spretis predictis nostris inhibitionibus et denuntiationibus ejusdem Conradini fautores et nuntios receperunt, denuntiamus prefatas sententias incurrisse, ipsos nichilominus de novo excommunicationis et castra predicta interdicti sententiis supponentes, contra eos, nisi memoratos fautores et nuntios, infra quindecim dies post instantem festivitatem Resurrectionis dominice, de predictis castris ejecerint, eos nunquam receptaturi seu recepturi, de cetero et a prefati Conradini favore omnino destiterint, gravius temporaliter et spiritualiter, prout expediens fore putabimus, processuri. Prefato quoque Conradino iterato de ipsorum fratrum consilio, presente hac fidelium multitudine districte precipimus, ut, a premissis omnino abstinens, similia nullo unquam tempore attemptare presumat. Alioquin ipsum exnunc excommunicationis sententia innodamus. Nichilominus peremptorie citantes eundem, ut infra instans festum beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod sibi pro peremptorio termino assignamus, per se vel per procuratorem ydoneum cum pleno et sufficienti

mandato, apostolico se conspectui representet, responsurus super predictis excessibus et nostris ac ejusdem ecclesie beneplacitis pariturus. Alioquin contra eum extunc, ipsius absentia non obstante, gravius, prout suadebit justitia et expedire viderimus, procedemus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in prefate majoris ecclesie Viterbiensis appendi vel affigi hostiis sive superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt. Ita quod idem Conradinus et alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Viterbii in cathedrali ecclesia, XVIII. kal. Maji anno tertio.

19.

Clemens IV. Conradinum et ejus fautores. iterum excommunicat. cf. Nr. 591. ***Viterbii in cathedrali majori ecclesia, 1267 Nov. 18.***

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum. Quia Conradinus, nepos olim Friderici, quondam Romanorum imperatoris, ad obtinendum imperium conatus sue presumptuose ambitionis extendens sibique presumptione temeraria Sicilie regnum intitulans, se regem regni denominabat ejusdem et cum aliquibus inimicis ecclesie Lombardis, Tuscis, Marchianis et Apulis de regno predicto profugis, se fraudulentis commerciis implicans ac in Urbe, Lombardia, Tuscia et per alia loca diversa litteras, sub sui expressione nominis et premissa intitulatione, typario regie majestatis impressas, sicut nos Conradini ejusdem litterarum inspectio fide docuit oculata, disseminans, turbare pacem ecclesie et commovere populum nitebatur in nostrum, ecclesie ipsius et carissimi in Christo filii nostri, Caroli Sicilie regis illustris, prejudicium et discrimen, nos suorum perversorum conatuum initiis occurrentes, in festo dedicationis basilice apostolorum Petri et Pauli, pontificatus nostri anno secundo, in hac majori ecclesia Viterbiensi, presente tunc multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, eidem Conradino districte precepimus, ut a premissis penitus abstineret, districtius inhibuimus, ne similia ulterius presumeret aut quomodolibet usurparet, solerter advertens, quante sit temeritatis quantaque coertione dignum legum sanctio censeat, falso nedum regium nomen assumere, sed etiam simplicis magistratus. Et potestatem ecclesie diligenter attendens, que sicut eundem Fridericum, avum suum, justo judicio nudavit imperio, predicto regno Sicilie, ducatu Apulie et principatu Capue, sic et eum,

immo multo facilius, regno Jerosolimitano aliisque dignitatibus, bonis et juribus, si qua forsan haberet, procul dubio nudare posset et nudaret justitia exigente, nisi meliore sibi provideret consilio et sedis apostolice se beneplacitis coaptaret. Prohibuimus etiam universis et singulis Christi fidelibus, ne predicto Conradino sicut regi Sicilie scriberent, nec ab ipso litteras, velut a rege aut sub premissis intitulatione, denominatione vel impressione reciperent, neve in eum ut in Sicilie regem intenderent, nec cum armis vel sine armis, facto vel verbo, aut alias quomodolibet ad turbandam ecclesie Romane pacem vel contra predictum regem Sicilie prestarent ei auxilium, consilium vel favorem. Specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italie prohibuimus expresse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini se supponerent aut eum vel pro eo seu in favorem ipsius, alium in potestatem admitterent, vel rectorem, quocumque nomine censeatur, vel ei sive alii pro ipso, aut in favorem ipsius, dominium, aut posse aliquod in se, terras aut suos districtus quocumque ingenio aut machinatione concederent, nec societatem, conjurationem seu fedus aliquod inire presumerent cum eodem aut alio in auxilium vel favorem ipsius. Illos vero, qui contra premissa vel aliquod premissorum, per se vel per alium, quocumque dolo, arte vel machinatione facerent, cujuscumque forent preeminentie, dignitatis aut status, excommunicationis sententiam, quam extunc in eos tulimus, incurrere voluimus ipso facto. Aperte quoque prediximus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus prelatis, quod, si contra premissa venire presumerent, eos omni ecclesiastice dignitatis privaremus honore, prout nobis facti qualitas et justitia suaderet. Reliquos autem clericos non prelationis officium, sed forsan dignitates personatus aut alia quevis ecclesiastica beneficia obtinentes et obtentis privare et ad alia obtinenda inhabiles reddere curaremus. Laicis vero cujuscumque preeminentie, dignitatis aut status, et precipue temporali jurisdictioni ejusdem ecclesie Romane subjectis expresse denuntiavimus, quod, si hujusmodi nostram inhibitionem contra eam, per se vel per alium temere veniendo, exacta diligentia non servarent, ipsos omnibus feudis et aliis, que ab ecclesiis ecclesiasticisve personis forsitan obtinerent, privare ac vassallos eorum, si quos haberent, absolvere curaremus a fidelitatis juramento, quo tenerentur eisdem et personis ipsorum citra periculum mortis et mutilationis expositis, sic exponeremus bona etiam eorumdem, ut illa liceret cuilibet occupare. Civitates quoque, communitates et universitates quaslibet, que prefatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione temptarent, voluimus interdicti sententie subjacere. Cumque prefatus Conradinus precepta, inhibitiones et comminationes

hujusmodi presumptuose contempnens et nequaquam abstinens a premissis, suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse ac, Sicilie se regem intitulans, litteris uteretur sub intitulatione ac impressione predictis, et, ut terram in dicti regis prejudicium commoveret, scandala suscitaret, ecclesie turbaret pacem, pro Sicilie rege se gerens, velut rex Sicilie dicti regni partiretur officia, officiales institueret, multos sollicitaret, aliquos promissionibus alliceret, nonnullis privilegia indulgeret, quampluribus etiam dona in eodem regno concederet, sicut litterarum et privilegiorum hujusmodi, que ad manus nostras devenerunt, nos certos reddidit de predictis inspectio. Nos considerantes, quod ad tantam cohibendam audaciam prohibitione sola nos non oportebat esse contentos, sed et penam transgressoribus justam inferre, universas et singulas inhibitiones, denuntiationes, comminationes et sententias memoratas, de predictorum fratrum consilio, in die cene domini, nuper preterito, pontificatus nostri anno tertio, in hac eadem Viterbiensi ecclesia, presente tunc multitudine fidelium copiosa, omnes illos, qui, contra easdem inhibitiones, denuntiationes et comminationes temere veniendo, in sententias prefatas inciderant ac specialiter Podii Bonizi et Sancti Miniati castrorum incolas, Vulterane diocesis, qui spretis predictis nostris inhibitionibus et denuntiationibus ejusdem Conradini fautores et nuntios receperant, denuntiavimus prelibatas sententias incurrisse, ipsos nichilominus tunc de novo excommunicationis et castra predicta interdicti sententiis supponentes et predicentes aperte, nos adversus eos, nisi memoratos fautores et nuntios, infra quindecim dies post instans tunc festum Resurrectionis dominice, de predictis castris eicerent, ipsos nunquam receptaturi seu recepturi postmodum et a nominati Conradini favore omnino desisterent, gravius spiritualiter et temporaliter, prout fore putaremus expediens, processuros. Memorato quoque Conradino iterato de ipsorum fratrum consilio districte precepimus, ut, a premissis omnino abstinens similia nullo unquam tempore attemptaret. Alioquin ipsum extunc excommunicationis sententia innodantes, citavimus eum peremptorie, quod infra festum beatorum apostolorum Petri et Pauli, tunc primo venturum, quod pro peremptorio sibi termino assignavimus, per se vel per procuratorem ydoneum cum pleno et sufficienti mandato apostolico se conspectui presentaret, responsurus super predictis processibus et nostris ac ejusdem ecclesie beneplacitis pariturus. Alioquin extunc, ipsius non obstante absentia, procederemus gravius contra eum, prout videremus expediens ac justitia postularet. Et quia ejusdem Conradini presumptuosa temeritas fautorumque suorum manifestis indiciis revelata malitia, ipsos nobis tam ex causis premissis, quam ex aliis de turbatione status Italie reddebant manifesta ratione suspectos, nos de ipsorum fratrum consilio, in festo Ascensionis dominice trans-

acto novissime, in eadem Viterbiensi ecclesia, multitudine ibi presente fidelium, eidem Conradino ingressum Italie curavimus inhibere districtius, eo tamen salvo, quod, si ad nostram presentiam infra terminum, quem ad hoc sibi duxeramus, ut predicitur, prefigendum personaliter et pacifice venire vellet, mandatis apostolicis pariturus, et super hoc nos precertificaret tempore oportuno, ita studeremus providere negotio, quod securus eidem ac nostris et ecclesie fidelibus non suspectus ad sedem eandem pateret accessus. Quod si aliter contra mandatum nostrum et sedis ipsius, Lombardiam vel alias partes Italie intrare vel capitaneum, aut militiam seu aliam quamcumque gentem illuc destinare presumeret, nos tam ipsum Conradinum, quam omnes illos, qui cum eo venirent taliter vel pro ipso, nec non et omnes illos, qui eum aut venientes pro eo reciperent seu ad ipsorum adventum vel transitum eis per se vel per alium darent consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum, extunc excommunicationis sententia duximus innodandos. Cum autem idem Conradinus prefatas nostras inhibitiones, comminationes et sententias contempnendo, non solum a predictis, sibi tam sollempniter, tam manifeste ac seriose prohibitis abstinere contempserit, se falso ac temere gerendo pro rege Sicilie, utendo sigillo, intitulatione ac denominatione premissis, et cum persecutoribus ecclesie ac regis Sicilie predictorum se in diversis mundi partibus in eorumdem ecclesie ac regis prejudicium et pacifici status Italie turbationem, variis factionibus implicando, verum etiam contemptui contemptum accumulans et suos graves excessus gravioribus aggravans, in tantam proruperit aperte presumptionis audaciam, quod Veronensem civitatem cum militia, elapso dudum dicte citationis termino, intrare presumpsit, se ultra velle progredi comminans et ad regni ejusdem invasionem intendere nimis presumptuose proclamans, nos debita meditatione pensantes, quod impunitas ausum parit, ausus excessum, ac intendentes ausibus ejus tam gravibus antidotum debite repressionis opponere condigneque castigationis penam suis excessibus adhibere, presertim, cum ex premissis liquido pateat, quod in eo malitia etatis terminos non solum prevenit, sed excedit, eundem Conradinum pro eo, quod non solum a prohibitis sibi non abstinens, sed similia immo prioribus etiam longe pejora committens, inhibitiones, comminationes et sententias predictas contempnere non expavit, contra eas taliter et alias etiam multipliciter veniendo, sicut facti evidentia publicat, et communis notitia publice protestatur, ipsum de predictorum fratrum consilio denuntiamus latam in eum per nos, ut premittitur, excommunicationis sententiam incurrisse de novo nichilominus ex eisdem causis excommunicantes eundem ac omnes et singulos, si qui se ad prestandum ei super premissis imperio sive regno, auxilium, consilium vel favorem juramenti vinculo astrinxe-

runt, denuntiantes juramento hujusmodi non teneri et ab observatione ipsius eos nichilominus absolventes, et, si forsan in hujusmodi propositi seu obligationis prosecutione perstiterint, exnunc excommunicantes eosdem. Memorato insuper Conradino expresse ac districte mandamus, ut infra mensem computandum exnunc de Verona et tota Italia cum omni sua gente omnino discedat, nec de imperio vel Italia et specialiter de regno Sicilie aut aliqua parte ipsius, in qua eum sicut per sententiam felicis recordationis Innocentii pape, predecessoris nostri, contra eundem avum ipsius latam, in concilio Lugdunensi evidenter constat. declaramus aperte jus aliquod non habere, se de cetero per se vel per alium aliquatenus intromittat aut aliquid in hiis, que ad imperium vel regnum predicta pertinent, contra easdem inhibitiones nostras quomodolibet attemptare presumat. Alioquin ipsum regno Jerosolimitano et omni jure, si quod habet in eo, apostolica exnunc auctoritate privamus et vassallos ejus, ubilibet constitutos, ab omni juramento fidelitatis absolvimus, si quo tenentur eidem. Omnes vero et singulos, qui eidem Conradino in predictis prestiterint auxilium, consilium vel favorem et specialiter . . . ducem Bawarie, . . comitem Tyroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, qui se comitem camerarium nominabat, et Conradum Trinza, quos notorium est ipsi Conradino in predictis assistere ipsumque fovere . . . potestatem etiam . . ., capitaneum, consiliarios ac singulos officiales et cives predicte civitatis Veronensis, qui licet per syndicum, ad hoc specialiter et legitime ordinatum, nostris et ecclesie mandatis parere juraverint, tamen eundem Conradinum cum gente sua ceterosque marchiones, comites, barones et alios, cujuscumque sint dignitatis aut status, qui ejus nuntios seu litteras contra predictas inhibitiones nostras veniendo ausu temerario receperunt seu alias prestiterunt ei consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis, ipsam autem civitatem Veronensem et cetera castra, civitates et loca, que predictas nostras inhibitiones contra ipsos faciendo hactenus contempserunt, interdicti declaramus sententiis subjacere ac nichilominus de novo ex eisdem causis. ac exigente aucta eorum ex tanti temporis continuatione perfidia, similibus sententiis innodamus. Specialiter autem terram memorati ducis et districtum ejusdem civitatis Veronensis, nisi infra duos menses prorsus a Conradini ejusdem in premissis favore desistant, ecclesiastico exnunc supponimus interdicto. Cives vero et incolas predicte civitatis Veronensis et omnes marchiones, comites, barones et alios quoslibet, cujuscumque sint dignitatis aut status, qui eundem Conradinum aut ejus capitaneum vel militiam seu quamcumque aliam gentem pro ipso, de cetero in aliqua parte Italie contra easdem nostras sententias, inhibitiones seu comminationes receperint, omnibus privilegiis, indul-

gentiis et gratiis quibuscumque, ab apostolica sede obtentis, exnunc apostolica auctoritate privantes, ipsos manere decernimus omni officio et honore privatos. Ita quod nullus eorum in potestatem, capitaneum seu rectorem aut ad alia quecumque officia vel honores possit assumi, et si aliqui eorum assumpti fuerint, sententie late per ipsos, si judices et instrumenta confecta, si tabelliones fuerint vel si quecumque officia gesserint, omnia, que per ipsos vel eorum auctoritate seu ministerio in judicio vel extra fieri seu geri contigerit, carere decernimus omni robore firmitatis et nullius penitus esse momenti. Et nichilominus personas eorum citra mortis et mutilationis periculum, nec non et bona mobilia exponimus, impune ab omnibus ac libere capienda, predictos insuper Veronenses monemus et eis districte precipimus, ut, infra mensem dictum Conradinum et gentem suam repellentes, ab ipsius prorsus favore desistant. Alioquin civitatem Veronensem pontificali dignitate, clericos vero ipsius incolas, quibuslibet dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis obtentis, privare curabimus et reddere inhabiles ad alia obtinenda, prout facti suadebit qualitas et viderimus expedire. Adversus alia etiam castra, civitates et loca Italie, que dictos Conradinum vel capitaneum seu gentem suam, ut premittitur, contra nostras inhibitiones, comminationes et sententias deinceps receperint, ad similes privationum penas, prout expediens fore putabimus, processuri. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in prefate majoris ecclesie Viterbiensis appendi vel affigi hostiis sive superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt. Ita quod idem Conradinus et alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum in prefata majori ecclesia Viterbiensi in die dedicationis basilice beatorum apostolorum Petri et Pauli, pontificatus nostri anno tertio.

20.

Clemens IV. excommunicat omnes, qui Conradino adherent et contra Carolum regem Sicilie conjuraverunt. cf. Nr. 603. ***Viterbii, 1268, Febr. 28.***

Ad futuram rei memoriam. Dira vulnera sevis manibus tyrannorum ecclesie Romane suisque dudum inflicta fidelibus, nondum remedia plene consolidationis adepta in medio nostrorum viscerum cum doloris acerbitate sentimus eoque fit nobis illorum dolor acer-

bior, quo pestilentium impietas, quietis impatiens, recentes plagas veteribus superinfligere satagens, ferventiori conatu pacificum statum ipsius ecclesie dictorumque fidelium nititur perturbare. Non enim nec sentiri nec oblivionis possunt subjacere defectui persecutiones innumere, quibus quondam Fridericus et ejus dampnata progenies in eandem ecclesiam et terram ipsius dampnabili temeritate crassantes, illam, que tanquam mitis et benigna mater dictum Fridericum oportunis temporibus foverat et promoverat diligenter ut filium seque pro ipso in plenitudine liberalitatis effuderat, sibi pro bono malum et pro dilectione odium rependendo, longis temporibus immaniter afflixerunt ipsorumque durante tyrannide, quantum in regno Sicilie, salutis cultu postposito discrimen successerit animarum, spoliatis ecclesiis, ejectis eorum prelatis et in exilium traditis, innocentum effuso sanguine direptisque substantiis devotorum, gesta preterita, que perpetuam sui reliquere memoriam, manifestant cumque ipsi velut infelices et in ruinam positi super innocentes elatis cornibus exultarent, demum non advertentes, quod omnis iniquitas in se reversa colliditur, de doli et nequitie semine fructum mestitie collegerunt. Nam deus ultionum dominus, auditis oppressorum clamoribus, eorum afflictiones ex alto respiciens, eandem ecclesiam ab ipsius Friderici et filiorum ejus rabie, ipsis de medio, quo decuit, fine sublatis misericorditer liberavit. Regno predicto per ministerium carissimi in Christo filii nostri C(aroli) Sicilie regis illustris, suffragante scilicet divine potentie dextera et apostolice sedis auxilio erepto de manibus impiorum. Verumtamen de stirpe colubri nuper erumpens, Regulus adolescens, Conradinus videlicet, maledictionis alumpnus, qui veluti ramusculus pestilens, malitiam suam de nequam arboris radice contraxit suo spiritu vel alieno seductus, et se regem Sicilie fatua et falsa fictione denominans, contra nostram prohibitionem expressam, presumpsit intrare Veronam, et exinde transtulit se Papiam ac ulteriorem progressum versus Urbem aut regnum predictum, sicut accepimus, comminatur. Et licet ipsum ac omnes illos, qui ei prebuerunt aut prebent vel prebebunt consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis sententia duxerimus innodandos et loca, in quibus eum recipi contingeret, ecclesiastico supposuerimus interdicto, quia tamen, quod est horrendum auditu, nostris est auribus intimatum, quod aliqui de Campania, Maritima, Marchia etiam Anconitana, ducatu Spoletano, Patrimonio beati Petri in Tuscia et aliis locis, tam adjacentibus quam remotis, cum viris pestilentibus et dampnatis, Galvanno Lancee, Conrado de Antiochia, Johanne de Marerio et nonnullis aliis proditoribus memorati regis et nostris conjurationes, pacta, societates et confederationes inire non vitato proditionis crimine presumpserunt, se ad vexationem eorumdem regis et regni suorumque fidelium accingentes, dignum

duximus apostolice manum auctoritatis opponere contra eos, ut penas suis condignas reatibus pertimentes, a tanti erroris devio retrahantur, vel si obstinati fuerint, dampnum perpetuo defleant, quod suis culpis exigentibus meruerunt. Unde cum eundem regem strenuum nostri redemptoris athletam et indefessum ejusdem ecclesie pugilem, sicut nostri pupillam oculi custodire, ac idem regnum, quod a nobis et eadem ecclesia tenet in feudum, plenis defendere studiis intendamus, in omnes illos, qui regnum ipsum invaserint vel invadi procuraverint ab aliis aut invasoribus impendere presumpserint consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, latas olim in eos, et terras eorum excommunicationis et interdicti sententias confirmantes, et eas auctoritate presentium innovantes, nichilominus excommunicamus et anathematizamus eosdem eorumque terras simili subicimus interdicto, ab eorum quoque subjectione suos subditos eximentes, ipsos a juramento, quo eis astricti tenentur, absolvimus, quandiu in sua malitia perdurarint et donec ad apostolice sedis arbitrium satisfecerint de commissis. In eos vero, qui ejusdem ecclesie sunt subjecti dominio temporali, preter penas predictas animadvertere gravius intendentes, ipsos, tanquam reos lese majestatis et ejusdem ecclesie proditores, ab omnibus terris ejusdem ecclesie in perpetuum relegatos, bonorumque suorum omnium amissione mulctamus, ea nostro et ipsius ecclesie dominio applicantes. Personas autem eorum, quas ubilibet in terris ecclesie inveniri contigerit, omnibus Christi fidelibus citra mortis vel mutilationis periculum exponimus capiendas, contra posteritatem eorum, clericos etiam eorumdem filios et nepotes ad beneficiorum suorum, tam habitorum quam habendorum, privationem auctore domino processuri, prout decere viderimus et crediderimus expedire. Datum Viterbii, III. kal. Martii anno quarto.

21.

Clemens IV. significat universis episcopis, per Tusciam constitutis, omnes excessus Conradini et mandat, ut processus, contra eundem habitos, diebus dominicis et festivis pulsatis campanis publicent. cf. Nr. 639. ***Viterbii, 1268 Aug. 6.***

Universis episcopis per Tusciam constitutis. Quam propenso consilio, quam justo judicio felicis recordationis Innocentius papa, predecessor noster, quondam Fridericum, olim Romanorum imperatorem, suis exigentibus culpis enormibus et manifestis excessibus, imperialis honore solii et regno Sicilie incommutabili diffinitione, generali concilio congregato Lugduni approbante, apostolice sedi, prout spectabat ad ipsam, ejusdem regni dispositione servata pri-

varit, in omnem terram exisse ac in fines orbis terre credimus divulgatum. Nec minus patere credimus, quod licet idem Fridericus sic juste, sic exacta maturitate, predictis imperio et regno privatus, in sua pertinacia sententie privationis hujus parere contempnens, eadem imperium et regnum detinuerit occupata, licet preter ipsum quondam Conradus, natus ipsius, et demum olim Manfredus ejusdem Friderici, ut dicitur, filius, idem regnum presumptione temeraria occuparint. Nos tamen oportunitate captata, tractatum de regno predicto per felicis recordationis Urbanum papam, predecessorem nostrum, inceptum, de fratrum nostrorum consilio prosequentes, regnum ipsum carissimo in Christo filio nostro Carolo, Sicilie regi illustri, sub certis conditionibus tam ecclesie, quam incolis regni ejusdem accomodis duximus concedendum. Qui divino fretus auxilio, celeriter de dicto Manfredo triumphans, regnum ipsum non solum feliciter, sed mirabiliter acquisivit. Quia vero Conradinus, memorati Conradi filius, quamquam ei ex premissis aperte liquere debeat, quod in regno predicto nec juris alicujus colorem pretendere, nec jus sibi possit aliquod vendicare, tamen, que jam memoratus predecessor Innocentius de privatione, quam nos de concessione hujusmodi ejusdem regni deliberatione provida fecisse dinoscimus, infringere ausu temerario satagens, predictum regnum sibi tamquam proprium intitulabat, pro ipsius se rege gerebat, scribendo et nominando se regem Sicilie, distribuendo et concedendo regni ejusdem officia, varias concessiones faciendo in ipso et nonnullis in eo privilegia concedendo, item quia cum aliquibus inimicis ecclesie Lombardis, Marchianis et Apulis, illicitis commerciis se immiscens et scelestas iniens factiones, turbare pacem ecclesie ac in nostrum, ecclesie ipsius et memorati regis prejudicium et discrimen commovere populum nitebatur, quamplures sollicitans, multos promissis alliciens et nonnullos concessionibus diversis inducens, item quia sue presumptionis ambitum ad imperii Romani culmen extendens, obtinere idem imperium nitebatur, super quo adeo processit sue presumptionis temeritas, quod suos in Tuscia vicarios ordinavit, frequenter ipsum publice ac sollempniter, de fratrum nostrorum consilio, monuimus sub pena excommunicationis, quam, si secus faceret, extunc tulimus in eundem, ut a premissis penitus abstineret nec similia ullo unquam tempore attemptaret. Item citavimus eum, ut infra certum terminum, quem sibi peremptorium duximus assignandum, per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui presentaret, responsurus super dictis excessibus et nostris ac ejusdem ecclesie beneplacitis pariturus. Alioquin extunc procederemus gravius contra eum, ipsius absentia non obstante. Item quia ipsius C(onradini) suorumque fautorum aperte reserata malitia ipsos de turbatione Italie reddebat manifeste suspectos, eidem in-

gressum Italie duximus districtius inhibendum, publice predicentes, quod, si ad nostram presentiam infra predictum terminum vellet venire, pacifice mandatis apostolicis pariturus nos ita provideremus negotio, dummodo nos opportuno precertificaret tempore, quo securius sibi et nostris ac ecclesie fidelibus non suspectus pateret accessus. Et si aliter contra mandatum nostrum Lombardiam vel alias partes Italie intrare vel capitaneum aut militiam seu aliam quamcumque gentem destinare presumeret, nos tam ipsum C(onradinum) quam eos, qui taliter pro eo venirent vel cum ipso, nec non et omnes illos, qui eum aut venientes pro eo reciperent, seu, ad ipsorum adventum vel transitum, eis per se vel per alium darent consilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum, excommunicationis sententia duximus innodandos.

Item quia idem C(onradinus) contra inhibitiones et precepta nostra temere veniendo ac se gerendo multipliciter pro rege Sicilie, Veronam cum militia venire presumpsit, eum denuntiavimus predictas excommunicationis sententias incurrisse, de novo excommunicantes eundem. Item omnes et singulos, qui se ad prestandum eidem C(onradino) super premissis imperio sive regno auxilium, consilium vel favorem juramenti vinculo astrinxerunt, denuntiantes juramento hujusmodi non teneri et ab observatione ipsius eos nichilominus absolventes, si forsan in hujusmodi propositi seu obligationis prosecutione persisterent, ipsos excommunicationis sententie, quam extunc tulimus, decrevimus subjacere. Item quia idem C(onradinus) mandato nostro sibi facto ex causis legitimis, ut infra certum tempus de Verona et tota Italia cum omni sua gente discederet nec de imperio vel Italia, et specialiter de regno Sicilie, in quo eum, sicut premisimus, constat, et nos nichilominus declaravimus, jus aliquod non habere, se intromitteret, parere contempsit, ipsum regno Jerosolimitano privavimus et omni jure, si quod habebat in illo, et vasallos ejus ubilibet constitutos ab omni juramento fidelitatis absolvimus, si quo tenentur eidem. Item quia postmodum contemptis nostris premissis monitionibus, inhibitionibus et preceptis, Papiam veniens et aliquorum devotorum ecclesie terram invadens, iterato monitus a premissis desistere et ad nostra mandata infra tempus specialiter ei ad hoc prefixum redire contumaciter non curavit, ipsum de predictorum fratrum consilio reddidimus omni tempore ineligibilem et prorsus inhabilem ad regnum quodlibet vel imperium obtinendum. Et nichilominus privavimus eum omnibus feudis et juribus quibuscumque, si qua forsan a quibuslibet ecclesiis obtineret. Item ipsius C(onradini) crescente malitia eoque, contra monitiones, inhibitiones et precepta nostra, Pisas temere veniente, universis et singulis Christi fidelibus et specialiter patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et quibuslibet aliis ecclesiarum prelatis et per-

sonis ecclesiasticis sub pena degradationis et privationis dignitatum, officiorum et quorumlibet beneficiorum, nec non communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et quorumcumque locorum, marchionibus quoque, ducibus, comitibus, baronibus et singulis quibuslibet personis sub pena privationis omnium, que a quibuscumque tenent ecclesiis, generaliter ediximus et districtius duximus inhibendum, nec cum memorato C(onradino) aut alio pro ipso seu in favorem ipsius, societatem, colligationem vel quecumque federa contraherent vel contracta observare temptarent. Nos enim societatem, colligationem et federa hujusmodi, etiam si sint juramentorum vel penarum adjectione seu quocumque alio vinculo roborata, de potestatis plenitudine dissolventes et carere statuentes omni robore firmitatis. Universos et singulos, qui se ad eorum observationem, quomodocumque se quantumcumque sollempniter astrinxerunt, ad ea observanda decrevimus non teneri nec ipsos pro eo, quod illa non servaverint, posse de reatu perjurii vel ratione penarum aut quarumcumque promissionum vel conventionum adjectarum in eis, in judicio vel extra impeti seu aliquatenus molestari. Item simili prohibuimus edicto, ne quis ei vel alii pro eo in aliqua parte Italie obediat vel intendat seu ad ipsum vadat, nuntium vel litteras ei mittat sub quocumque velamine aut recipiat ab eodem, neve sibi vel genti vel nuntiis suis fodrum ministret, equos, arma vel naves sub venditionis titulo aut quocumque alio colore concedat, nec ab ipso C(onradino) vel alio pro eo stipendia quecumque recipiat vel pro receptis servitium promissum exhibere presumat nec alias quomodolibet eis vel eorum alicui aut alii etiam pro Conradino predicto prestet auxilium, consilium vel favorem, publicum vel occultum. Item in omnes illos, qui contra predictas inhibitiones nostras vel ipsarum aliquam temere venire quocumque modo presumpserint, cujuscumque fuerint dignitatis aut status, excommunicationis sententiam de fratrum eorundem consilio duximus promulgandum, alias contra ipsos gravius spiritualiter et temporaliter, prout excessus dictaverit qualitas et expedire viderimus, processuri. Predictas vero excommunicationis sententias prohibuimus absque speciali mandato nostro, nisi forsan in mortis articulo relaxari, quo casu, nisi absolutionis beneficium obtinentes, infra duos menses, postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan inibi fuerint, recedentes, nostro se conspectui curaverint presentare, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus hujusmodi sententias incurrerunt et nostris beneplacitis parituri, eo ipso in easdem sententias relabuntur. Adicientes expressius, quod a predictis omnibus et singulis sententiis latis in eos, qui prefato C(onradino) prestiterint consilium, auxilium vel favorem, neminem excipi volumus, etiam si episcopali, archiepiscopali vel patriarchali aut alia qualibet

dignitate fungantur, sed eas sic firmiter et inviolabiliter observari, quod absolvendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi forsan in mortis articulo, ut dictum est, tam omnibus nostris penitentiariis, quam aliis quibuslibet confessoribus sive generalibus sive specialibus seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum, ubilibet consistentium, adimimus potestatem, etiam si a nobis vel ab aliquo predecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma generalem vel specialem aut liberam absolvendi aliquem vel aliquos a sententiis hominis vel canonis, seu alias quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem sine nostro speciali mandato a nobis obtinendo deinceps contrarium forte presumpsit tam absolventem a predictis sententiis, seu relaxantem easdem, quam hujusmodi absolutionem vel relaxationem recipientem in quacumque dignitate, preeminentia, statu vel ordine fuerint constituti, ex hac causa excommunicationis vinculo innodamus. Relaxationem etiam hujus sententie nobis similiter reservantes, mortis articulo dumtaxat excepto, et tunc, nisi sanitate recepta, infra tempus competens juxta locorum distantiam, ad nostram presentiam venerint, suum humiliter recognituri reatum et nostris beneplacitis parituri, relabantur in easdem sententias ipso facto. Ab hiis vero mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut si solum rationem prestiti favoris in hujusmodi sententias forsan inciderint, possint per suos diocesanos juxta formam ecclesie absolutionis beneficium obtinere. Licet autem premissos processus, frequenti, publica et sollempni denuntiatione vulgatos, ad communem omnium credamus notitiam devenisse, ne tamen aliquis possit ignorantiam malitiose causare, volumus et fraternitati vestre presentium auctoritate, districte precipiendo, mandamus, quatenus singuli vestrum in vestris sermonibus processum hujusmodi publicantes, eundem Conradinum ac fautores ipsius, diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis et faciatis ab aliis per omnes ecclesias vestrarum civitatum et diocesium nuntiari. Ad majorem facti evidentiam in ecclesiis ipsis, etiam singulis non feriatis diebus, mane ac sero pulsari campanas propter hoc nichilominus facientes. Datum Viterbii, VIII. id. Augusti anno quarto.

22.

Martinus IV. commendat Rodulpho regi Romanorum Theodericum, priorem ecclesie s. Andree Urbevetane, quem pro colligendis decimis transmittit. cf. Nr. 1122. **Apud Urbem veterem, 1283 Jan. 13.**

Carissimo in Christo filio . . . regi Romanorum illustri. Credentes firmiter, quod inter ceteros mundi principes, catholice fidei

titulis insignitos, tu tanquam devotissimus filius et in divinis exequendis obsequiis studiosus, terre sancte negotium sinceris affectibus prosequaris et ad promotionem ipsius celerem desiderium dirigas mentis tue, celsitudinem regiam super hiis, que negotium ipsum contingere novimus fidutialiter precibus excitamus, sperantes, quod ad ea quantotius et efficaciter exequenda benignum et sollicitum studium favorabiliter largiaris. Cum itaque prefatum negotium, utpote spiritualiter insidens cordi nostro, favoribus prosequentes uberibus et ad illud efficaciter promovendum sollicitum studium impendentes, dilectum filium Theodericum, priorem ecclesie sancti Andree Urbevetane, capellanum nostrum, collectorem decime terre sancte in Treverensi et Maguntina provinciis, Pragensi, Olomucensi, Eistetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus duntaxat exceptis, a sede apostolica deputatum, ad partes illas propter hoc duxerimus destinandum, nos qui totam decimam, prout Lugdunense concilium statuit, converti volumus in subsidium dicte terre, regalem magnificentiam rogamus et hortamur attente, quatenus capellanum eundem cum negotio sibi commisso habens propensius commendatum, sibi super eodem exequendo negotio regii favoris auxilium tribuas, cum super hoc ab eo fueris requisitus. Ita quod proinde ab eo, qui pro minimis grandia recompensat retributionis condigne premia consequaris nosque regie devotionis promptitudinem, quam in hac parte reddi cupimus studiosam, plenis in domino laudibus attollamus. Datum apud Urbem veterem, id. Januarii anno secundo.

In e. m. eidem regi pro magistro Alirono canonico ecclesie sancti Marci de Venetiis, collectore decime terre sancte in Salzeburgensi provintia, Olomucensi, Eystetensi et Bambergensi civitatibus et diocesibus provincie Maguntine, a sede apostolica deputato.

23.

Martinus IV. preficit Ericum ecclesie Magdeburgensi archiepiscopum et palleum ei transmittit. cf. Nr. 1155. ***Apud Urbem veterem, 1283 Maji 23.***

Erico electo Magdeburgensi. Cum nos venerabilibus fratribus nostris suffraganeis Magdeburgensis ecclesie nostris demus litteris in mandatis, ut unus eorum ascitis sibi reliquis, aut saltem duobus vel tribus ex eis, seu etiam ex aliis episcopis convicinis, tibi, quem nuper de fratrum nostrorum consilio ecclesie prefate prefecimus in archiepiscopum et pastorem, munus consecrationis impendat, ne te oporteat ad apostolicam sedem pro obtinendo ab ea palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere, seu nuntium destinare ac

exinde laboribus seu sumptibus fatigari, palleum ipsum, de corpore beati Petri sumptum, per dilectos filios Henricum, prepositum ecclesie sancti Wiperti in Niemborg, Magdeburgensis diocesis, et Hendelricum, canonicum ecclesie sancti Sebastiani Magdeburgensis, a quibus juramentum recepimus de palleo ipso fideliter presentando, venerabilibus fratribus nostris . . . Nuemburgensi et . . . Missinensi episcopis, suffraganeis predicte Magdeburgensis ecclesie, destinamus, ut ipsi vel alter eorum dictum palleum, postquam prefatam consecrationem receperis, tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiant juramentum. Tu vero, postquam tibi palleum ipsum traditum fuerit, eo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, et, quod geris exterius, illud serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et justitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et predictam Magdeburgensem ecclesiam, tuam sponsam, cures sollicite actore domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum apud Urbem veterem, X. kal. Junii anno tertio.

24.

Honorius IV. transmittit palleum Rudolfo archiepiscopo Salzeburgensi. Intercluse sunt forma juramenti et norma dandi palleum. cf. Nr. 1366 et 1367. ***Rome, apud s. Petrum, 1285 Maji 29.***

Venerabili fratri Rudolfo archiepiscopo Salzeburgensi. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios, magistrum Henricum Cosse, prepositum ecclesie Frisacensis, Salzeburgensis diocesis, et Fredericum, canonicum Salzeburgensem, procuratores et nuntios tuos, cum ea, qua decuit, instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum, de corpore beati Petri sumptum, venerabilibus fratribus nostris . . Laventino et . . Chimensi episcopis per eosdem prepositum et canonicum destinamus, ut illud tibi sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, assignare procurent, recepturi a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam eis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite juramentum. Tu vero palleo ipso intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem

tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et justitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, conservare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et ecclesiam, sponsam tuam, cures sollicite auctore deo spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Rome, apud sanctum Petrum, IIII. kal. Junii anno primo.

Forma juramenti pro archiepiscopo Salzeburgensi: Ego Rudolfus, archiepiscopus Salzeburgensis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, sancte apostolice Romane ecclesie et domino meo, pape Honorio suisque successoribus canonice intrantibus, non ero in consilio, consensu aut facto, ut vitam perdant aut membrum aut capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos seu per litteras, ad eorum dampnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum salvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum apostolice sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina singulis bienniis aut per me aut per meum nuntium visitabo, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero, ad mensam mei archiepiscopatus pertinentes, non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano pontifice. Sic me deus adjuvet et hec sancta dei evangelia.

Norma dandi palleum pro eodem: Ad honorem omnipotentis dei et beate Marie virginis ac beatorum apostolorum Petri et Pauli et domini pape Honorii et sancte Romane ecclesie, immo ecclesie tibi commisse tradimus tibi palleum, de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut utaris eo infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis, ab apostolica ei sede concessis.

25.

Honorius IV. destinat Laventino et Chimensi episcopis palleum Rudolfo archiepiscopo Salzeburgensi assignandum. cf. Nr. 1367.

Rome, apud s. Petrum, 1285 Maji 30.

Venerabilibus fratribus ... Laventino et ... Chimensi episcopis. Ex parte venerabilis fratris nostri, R(udolfi), Salzeburgensis archiepiscopi, fuit nuper a nobis per dilectos filios magistrum Henricum de Cosse, prepositum ecclesie Frisacensis, Salzeburgensis diocesis, et Fredericum, canonicum Salzeburgensem, ipsius archiepiscopi pro-

curatores et nuntios, palleum, insigne videlicet pontificalis officii, cum ea, qua decuit, instantia postulatum. Cum itaque ipsius archiepiscopi supplicationibus benigne duxerimus annuendum, et predictum palleum, de corpore beati Petri sumptum, vobis, de quorum probitate fiduciam in domino gerimus spetialem, per eosdem prepositum et canonicum destinemus per vos eidem archiepiscopo assignandum, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus palleum ipsum, a preposito et canonico recipientes eisdem, illud prefato archiepiscopo sub forma, quam vobis sub bulla nostra mittimus introclusam, ex parte vestra assignare curetis recepturi ab eo, nostro et ecclesie Romane nomine, sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite juramentum, ac nichilominus significaturi nobis plenarie per vestras litteras harum seriem continentes, quod in hac parte duxeritis faciendum. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. [1]) Datum Rome, apud sanctum Petrum, III. kal. Junii anno primo.

26.

Nicolaus IV. episcopo Nuemburgensi indulget, ut cum Henrico de Nuliz et Hedewige de Mosin super matrimonio dispenset. **Apud Urbem veterem, 1291 Mart. 5.**

Nic. IV. Reg. an. IV. ep. 43 fol. 8.

Nicolaus episcopus [2]) servus servorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo Nuemburgensi salutem [3]) et apostolicam benedictionem. Petitio dilecti filii Henrici de Nuliz et dilecte in Christo filie Hedewigis de Mosin, tue diocesis, nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice in faciem ecclesie matrimonium insimul contraxerunt, carnali postmodum inter eos copula subsecuta. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod quarto consanguinitatis gradu ad invicem se contingunt, ipsi super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt et asserentes [4]) ut, cum ex eorum divortio, si illud fieri contingeret, grave posset in illis partibus inter progenitores eosdem scandalum suscitari, provideri ipsis super hoc de dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur de circumspectione tua, qui super hiis habere poteris notitiam pleniorem, specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per

---

[1]) *Or. Quod si non ambo etc. alter vestrum etc.* [2]) *Or. episcopus etc.* [3]) *Or. salutem etc.* [4]) *Or. asserentes usque auctoritate nostra dispenses.*

apostolica scripta mandamus, quatenus veris existentibus supradictis cum eisdem, ut impedimento hujusmodi non obstante, quod ex predicta consanguinitate provenit, possint in sic contracto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum videris expedire. Datum apud Urbem veterem, III. non. Martii anno quarto.

27.

Nicolaus IV. episcopo Nuemburgensi injungit, ut de natalibus Alberti presbiteri, sue diocesis, inquirat et secundum canones decidat. ***Apud Urbem veterem, 1291 Apr. 9.***

Nic. IV. Reg. an. IV. ep. 152 fol. 30.

Nicolaus episcopus [1]) servus servorum dei. Venerabili fratri ... episcopo Numburgensi salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Albertus de Weraherstorf, presbiter tue diocesis, exposuit, quod licet parentes ejus, tanquam legitimi conjuges, individuam vite consuetudinem retinentes, genuissent eundem, ipse tamen habens ex eo conscientiam reluctantem, quod mater ejus, priusquam pater conjungeretur ei copula maritali, alii nupserat, qui se ad partes remotas transtulerat, ubi decessisse publice dicebatur, quique non modico elapso tempore predicto patre jam defuncto, repertus est vivere, super hoc apostolice provisionis remedium imploravit. Quia vero de facto et facti circumstantiis tu habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si predicti Alberti natalia defendat debita sollempnitas nuptiarum, eidem in susceptis ordinibus executionis debite licentiam largiaris. Si vero eisdem natalibus fuerit dispensatio adhibenda, consideratis diligenter circumstantiis universis, que circa predicta fuerint attendende, si dictus Albertus fuerit bone conversationis et vite, aliaque sibi ad hoc merita suffragantur, cum eo super premissis et etiam irregularitate, si quam recipiendo predictos ordines et in eis ministrando contraxerit, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum anime sue saluti videris expedire. Ita tamen, quod idem presbiter prout requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem hujusmodi obtinere contigerit, personaliter resideat in eodem. Alioquin hujusmodi gratia quoad beneficium ipsum nullius penitus sit momenti. Datum apud Urbem veterem, V. id. Aprilis anno quarto.

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

28.

Bonifacius VIII. mandat episcopo Nuemburgensi, ut cum Frederico de Sconburch et Matilde, super matrimonio dispensare possit, cum legitimatione prolis. ***Anagnie, 1295 Jun. 18.***

Bon. VIII. Reg. an. I. ep. 239. fol. 56.

Bonifacius episcopus [1]) servus servorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo Nuemburgensi salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Petitio dilecti filii nobilis viri Frederici de Sconburhc et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Matildis, ejus uxoris, tue diocesis, nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ad sedandas graves inimicitias, inter progenitores eorum exortas, ignari, quod aliqua foret consanguinitas inter eos, que matrimonium impediret, ad invicem matrimonium contraxerunt et tandem carnali copula subsecuta prolem etiam procrearunt. Verum quia postmodum compertum extitit, quod ipsi quarta consanguinitatis linea se contingunt, propter quod non possunt in eodem matrimonio absque dispensatione sedis apostolice licite remanere, ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ex eorum divortio, si illud fieri contingeret, grave posset in illis partibus inter progenitores eosdem scandalum suscitari, provideri ipsis super hoc de dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur de circumspectione tua, qui super hiis habere poteris notitiam pleniorem, specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus veris existentibus supradictis cum eisdem Frederico et Matilde, ut impedimento hujusmodi non obstante, quod ex predicta consanguinitate provenit, possint in sic contracto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prout secundum deum et anime ipsorum saluti videris expedire, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Datum Anagnie, XIIII. kal. Julii anno primo.

29.

Bonifacius VIII. mandat episcopo Nuemburgensi et collegis suis, ut bona archiepiscopatus Magdeburgensis male distracta revocent ad proprietatem ejusdem ecclesie. ***Rome, apud s. Petrum, 1296 Nov. 28.***

Bon. VIII. Reg. an. II. ep. 510 fol. 143.

Bonifacius episcopus [3]) servus servorum dei. Venerabili fratri . . . episcopo Nuemburgensi et dilectis filiis . . . abbati monasterii

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.* [3]) *Or. Bonifacius episcopus etc.*

sancti Michaelis Hildesemensis ac preposito ecclesie de Richenberg, Hildesemensis diocesis, salutem[1]) et apostolicam benedictionem. Sincera devotio, quam venerabilis frater noster Bochardus Magdeburgensis archiepiscopus erga Romanam gerit ecclesiam, instanter excitat mentem nostram, ut ipsum in petitionibus suis oportunis favoribus et spiritualibus gratiis prosequamur. Exposita siquidem nobis ejus petitio continebat, quod nonnulli predecessores sui Magdeburgenses archiepiscopi, qui fuerunt pro tempore, ecclesias, capellas, castra, villas, possessiones, jurisdictiones et alia bona Magdeburgensis ecclesie nec non possessiones in pecunia numerata nonnullis marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus et aliis potentibus nec non inferioris gradus clericis et laicis perpetuo et ad certi temporis spatium illicite infeudare, donare, impignorare, vendere et alienare curarunt et Romano pontifice inconsulto, propter quod ecclesia ipsa gravem dinoscitur lesionem substinere. Quare prefatus archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc indempnitati ejusdem ecclesie de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos itaque gerentes de vestre circumspectionis industria fiduciam in domino specialem et sperantes firmiter, quod ea, que vobis committimus, sollicite ad effectum perducere studeatis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, ecclesias, capellas, castra, villas, possessiones, jurisdictiones, bona et pensiones predicta alienata taliter seu distracta, ad jus et proprietatem ejusdem ecclesie, de plano, summarie, sine strepitu et figura judicii, auctoritate nostra legitime revocare procures, contradictores[2]) auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Testes autem[3]) qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas, veritati testimonium perhibere. Non obstantibus de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo, ultra tertiam vel quartam aliquem extra suam diocesim trahi, auctoritate presentium ad judicium non contingat, et nostra constitutionibus, qua cavetur, quod aliquis extra suam civitatem et diocesim ad judicium non trahatur nec procedatur in aliquo contra eum. Datum Rome, apud sanctum Petrum, IIII. kal. Decembris anno secundo.

Eisdem scribitur pro Hermanno episcopo Halberstadensi mutatis mutandis. Datum ut in precedenti.

---

[1]) *Or. salutem etc.* [2]) *Or. contradictores etc. usque compescendo.* [3]) *Or. testes autem etc. usque perhibere.*

30.

Johannes XXII. confert Alberto, nato quondam Alberti ducis Saxonie, ecclesiam s. Stephani in Vienna et preposituram ecclesie in Northusen. **Avinione, 1318 Sept. 6.**

Joann. XXII. Reg. Com. an. III. ep. 131 fol. 44.

Johannes episcopus[1]) servus servorum dei. Dilecto filio Alberto, nato quondam Alberti ducis Saxonie, rectori parrochialis ecclesie sancti Stephani in Vienna, Pataviensis dyocesis, salutem[2]) et apostolicam benedictionem. Clara tue probitatis merita et virtutum studia, quibus personam tuam dominus insignivit, sic te nobis reddiderunt gratum multipliciter et acceptum, ut personam tuam precipuis prosequamur favoribus, et, quantum cum deo possumus, juris mitigando rigorem, condignis gratiis honoremus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu dudum, in minori constitutus etate, parrochialem ecclesiam sancti Stephani in Wienna, Pataviensis dyocesis, tunc vacantem, ad quam per dilectum filium nobilem virum . . . ducem Austrie, qui tunc erat, sicut et adhuc est et progenitores sui fuerunt in possessione juris patronatus ejusdem ecclesie, venerabili fratri nostro . . . Pataviensi episcopo fueras presentatus absque aliqua institutione ejusdem episcopi, cum te in rectorem ejusdem ecclesie, quamvis super hoc a te fuisset devote et humiliter requisitus, recusaret, instituere recepisti et tam dictam ecclesiam per decem, quam prepositnram ecclesie in Northusen curam animarum habentem, Maguntine dyocesis, alias canonice tibi collatam, quam similiter defectum etatis paciens adeptus fuisti per tredecim annos et amplius detinens, ac fructus percipiens ex eisdem te non fecisti ad sacros ordines promoveri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi, qui adhuc parrochialem ecclesiam et prepositnram predictas, sicut asseris, possides pacifice et quiete, cum jam etatis legitime sis effectus, quique prepositnram predictam, quatinus de facto possessioni ejus incumbere noscebaris, libere in nostris manibus dimisisti, providere super premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur propter premissa tuarum merita probitatum tuique generis claritatem intendentes super hiis personam tuam favoribus prosequi gratiosis, ne propter premissa vel aliquod premissorum dampno ledaris infamie seu inhabilitatis valeas labe notari, te auctoritate apostolica habilitamus et restituimus in integrum omnemque infamiam seu inhabilitatis notam vel maculam, quam ex premissis vel premissorum aliquo dinosceris incurrisse, et

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

que propterea tibi posset apponi, de apostolice potestatis plenitudine penitus abolemus teque uberiori gratia prosequentes predictam parrochialem ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate predicta tibi de novo conferimus et de illa etiam providemus, decernentes irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non intendentes, quod per hoc cuiquam imposterum prejudicium generetur, non obstante, quod in Magdeburgensi ecclesia canonicatum et prebendam nosceris obtinere, tecum insuper auctoritate predicta ex specialis dono gratie dispensamus, ut usque ad biennium a data presentium computandum non tenearis ad sacros ordines promoveri neque ad suscipiendum eosdem ordines a quoquam invitus valeas cohartari, Lugdunensis concilii et qualibet constitutione contraria non obstante. Proviso quod interim dicta parrochialis ecclesia debitis non fraudetur obsequiis et animarum cura in ea nullatenus negligatur. Volumus autem, quod de fructibus, quos de parrochiali ecclesia et prepositura predictis medio tempore percepisti, quosque sub infrascripto moderamine tibi remittimus et donamus, mille florenos auri venerabili fratri nostro Guillelmo episcopo Penestrino pro transmarino passagio infra annum solvere et centum libras Turonensium parvorum in emptionem ornamentorum vel aliorum necessariorum seu utilium prepositure predicte infra eundem annum convertere tenearis, alioquin hujusmodi gratia et ejus effectus nullius penitus sit momenti. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat, hanc paginam nostre habilitationis, restitutionis, abolitionis, collationis, provisionis, constitutionis, dispensationis, voluntatis, remissionis et donationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, VIII. id. Septembris pontificatus nostri anno tercio.

31.

Johannes XXII. confert Alberto, germano Rudolphi, ducis Saxonie, prebendam. **Avinione, 1318 Sept. 6.**

Joann. XXII. Reg. Com. an. III. ep. 132 fol. 45.

Johannes episcopus [2]) servus servorum dei. Dilecto filio Alberto, germano dilecti filii nobilis viri Rudolphi, ducis Saxonie, canonico

---

[1]) *Or. Ne nulli ergo etc. nostre habilitationis, restitutionis, abolitionis, collationis, provisionis, constitutionis, dispensationis, voluntatis, remissionis et donationis infringere etc. Si quis autem etc.* [2]) *Or. episcopus etc.*

Maguntino, salutem [1]) et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis circumspecta benignitas ad illos libenter sue liberalitatis dexteram extendere consuevit, qui litterarum scientia prediti, generis nobilitate preclari et aliis multiplicibus virtutum meritis insigniti se dignos ipsius gratia representant. Volentes itaque tibi propter litterarum scientiam, honestatem morum et generis claritatem ac alia virtutum tuarum merita, quibus personam tuam juvari percepimus, gratiam tibi facere specialem, canonicatum ecclesie Maguntine cum plenitudine juris canonici ac prebendam, nulli alii de jure debitam, si qua ibidem vacat ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus. Si vero nulla talis prebenda nunc vacat in ecclesia supradicta, nos prebendam aliam, proximo in dicta ecclesia vacaturam, que de jure similiter nulli alii debeatur, conferendam tibi, cum vacaverit, donationi apostolice reservamus, decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari, non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ejusdem ecclesie speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum sedis apostolice litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus postquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis et prebendas inibi expectantibus te in assecutione dicte prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prebendarum et beneficiorum aliorum prejudicium generari, seu si venerabili fratri nostro . . . archiepiscopo et dilectis filiis . . . preposito et capitulo Maguntinis et quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ejusdem ecclesie et aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcunque aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali

---

[1]) *Or. salutem etc.*

cujuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quo cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut quod in Magdeburgensi ecclesia canonicatum et prebendam, et parrochialem ecclesiam de Vienna, Pataviensis dyocesis, ex nova collatione nostra nosceris obtinere, seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ejusdem ecclesie Maguntine solitum juramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis, provisionis, reservationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, VIII. id. Septembris pontificatus nostri anno tercio.

In eundem modum venerabili fratri ... episcopo Argentinensi et dilectis filiis ... preposito Argentinensis ac magistro Bertrando de s. Genesio canonico Engolismensis ecclesiarum — quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Albertum vel procuratorem suum ejus nomine exnunc auctoritate nostra in dicta ecclesia Maguntina recipi facientes in canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro etc. inducatis et defendatis inductum etc. Datum ut supra.

32.

Johannes XXII. Wenceziao, nato quondam Alberti ducis Saxonie, confert ecclesiam in Gors. **Avinione, 1318 Sept. 6.**

Joann. XXII. Reg. Com. an. III. ep. 347. f. 111.

Johannes episcopus [2]) servus servorum dei. Dilecto filio Wenceziao nato quondam Alberti ducis Saxonie, rectori parrochialis ecclesie in Gors, Pataviensis dyocesis, salutem [3]) et apostolicam benedictionem. Illos libenter apostolice provisionis favore prosequimur, qui generis claritate conspicui virtutum meritis adjuvantur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu dudum parrochialem ecclesiam in Gors, Pataviensis dyocesis, in minori constitutus etate, alias tibi collatam canonice recepisti ipsamque per quatuor annos vel circiter detinens et fructus percipiens ex eadem te non fecisti

---

[1]) *Or. nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, reservationis et constitutionis infringere etc.* [2]) *Or. episcopus etc.* [3]) *Or. salutem etc.*

ad sacros ordines promoveri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum jam etatis legitime sis effectus, providere tibi, qui adhuc predictam parrochialem ecclesiam, sicut asseris, pacifice possides et quiete, super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur personam tuam, generis claritate conspicuam et morum meritis insignitam, volentes favoribus prosequi gratiosis, ne propter premissa dampno ledaris infamie vel inhabilitatis macula respergaris, te auctoritate apostolica habilitamus et restituimus in integrum omnemque infamie seu inhabilitatis notam vel maculam, quam ex premissis vel premissorum aliquo dinosceris incurrisse, et que propterea tibi posset opponi, de apostolice plenitudine potestatis penitus abolemus. Teque uberiori gratia prosequentes predictam parrochialem ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate predicta tibi denuo conferimus et de illa etiam providemus, decernentes irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de fructibus, quos medio tempore de dicta parrochiali ecclesia percepisti, quosque sub infrascripto moderamine remittimus et donamus, quinquaginta libras Turonensium parvorum venerabili fratri nostro Guillelmo episcopo Penestrino pro transmarino passagio infra annum solvere tenearis. Alioquin hujusmodi gratia et ejus effectus nullius penitus sit momenti. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat hanc paginam nostre habilitatis, restitutionis, abolitionis, collationis, provisionis, constitutionis, voluntatis, remissionis et donationis infringere [2]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem [3]) hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, VIII. id. Septembris pontificatus nostri anno tercio.

33.

Johannes XXII. Rodulpho duci Saxonie et ejus uxori concedit, quod in locis interdictis possint divina Officia facere celebrari. **Avinione, 1326 Febr. 1.**

Joann. XXII. Reg. Com. an. X. pars I. ep. 577. fol. 211.

Johannes episcopus [4]) servus servorum dei. Dilecto filio, nobili viro Rodulpho duci et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jutte ducisse Saxonie, consorti sue, salutem [5]) et apostolicam benedictionem. Ut erga sedem apostolicam eo amplius crescat vestre devotionis affectus, quo eam benigniorem inveneritis faciendo vobis

---

[1]) *Or. Nulli ergo etc.* [2]) *Or. infringere etc.* [3]) *Or. si quis autem etc.* [4]) *Or. episcopus etc.* [5]) *Or. salutem etc.*

gratiam, per quam spiritualem leticiam deo propicio consequi valeatis, vestris devotis supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, quod, cum ad civitates, castra et loca ecclesiastico supposita interdicto vos declinare contigerit, liceat vobis, excommunicatis et interdictis exclusis, januis clausis, non pulsatis campanis, et voce submissa per proprios et ydoneos capellanos vobis et familie vestre officia facere celebrari et audire divina, dummodo vos et capellani et familiares predicti causam non dedistis hujusmodi interdicto, nec id vobis et ipsis contingat specialiter interdici. Nulli [1]) ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, kal. Februarii pontificatus nostri anno decimo.

34.

Johannes XXII. Cunegundi, uxori Rudolphi ducis Saxonie, indulget, ut in locis interdictis possit divina officia facere celebrari.
Avinione, 1330 Apr. 30.

Joann. XXII. Reg. Com. an. XIV. pars IV. ep. 964. fol. . .

Johannes episcopus [2]) servus servorum dei. Dilecte in Christo filie nobili mulieri Cunegundi, uxori dilecti filii nobilis viri Rudolphi ducis Saxonie, salutem [3]) et apostolicam benedictionem. Personam tuam paterna benevolentia prosequentes, petitionibus tuis libenter annuimus, in his precipue, que suppliciter pieque postulas, et salutem sapiunt animarum. Tuis itaque supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forte ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, liceat tibi in illis, clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce, tibi et familiaribus tuis domesticis missam et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis hujusmodi interdicto, nec id tibi vel eis contingat specialiter interdici, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis [4]) infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, II. kal. Maji pontificatus nostri anno quartodecimo.

---

[1]) *Or. nulli etc. nostre concessionis etc.* [2]) *Or. episcopus etc.* [3]) *Or. salutem etc.* [4]) *Or. nulli ergo etc. nostre concessionis etc.*

35.

Johannes XXII. rogat Rudolphum ducem Saxonie, ut nequam deo infestam et exosam congregationem fugiat. ***Avinione, 1331 Jan. 20.***

Joann. XXII. Reg. Secret. Tom. VIII. fol. 76.

Johannes episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Rudolpho duci Saxonie salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Cum a nobis lator presentium postularit, utrum nobis placeret, quod illi congregationi, que curat hostes dei et ecclesie, tua magnificentia interesset, proponens aliqua, propter que tua posset esse presencia inibi oportuna, nos autem sapientis dictum considerantes attente dicentis, quod qui picem tetigerit, coinquinabitur ab ea, quodque et qui superbo communicaverit, superbia induetur, veremur probabiliter, quod si illuc ieris, nequaquam immunis ab eorum immundiciis reverteris, quare nescimus aliud dicere, quam de talibus dicit dominus per prophetam: Exi, inquit, de illa scilicet congregatione prophana et sordida, popule meus, et ne ejus sitis participes delictorum et de plagis, id est penis illi congregationi reprobe tam per jura canonica et civilia, quam nostros processus inflictis, non accipiatis, id est in eis non incidatis. Si ergo illis, qui illi nequam congregationi intererunt, dicatur: Exite, multo fortius, antequam intersit, est dicendum, ne appropinquetis. Que enim, dicit apostolus, societas luci ad tenebras, aut que pars fideli cum infideli, quasi dicat: nulla. Rogamus igitur et consulimus, fili, ut illam nequam deo infestam multipliciter et exosam congregationem fugias nec ei aliquatenus appropinques. Datum Avinione, XIII. kal. Februarii pontificatus nostri anno quintodecimo.

36.

Clemens VI. episcopo Nuemburgensi mandat, ut cum Henrico de Gera et Jutta Richem super matrimonio dispenset. ***Apud Villam novam, 1344 Aug. 26.***

Clem. VI. Reg. Com. an. III. lib. II. pars II. ep. 663 fol. 223a.

Clemens episcopus [3]) servus servorum dei. Venerabili fratri ... episcopo Nuemburgensi salutem [4]) et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Henrici, nati di-

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.* [3]) *Or. episcopus etc.* [4]) *Or. salutem etc.*

lecti filii nobilis viri Henrici, domini de Gera domicelli et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Jutte, nate dilecti filii nobilis viri Henrici Richem, dicti de Plawen, domicelle tue diocesis, petitio continebat, quod olim inter Henricum, dominum de Gera, et Henricum Richem predictos graves guerre et discordie fuerint, procurante pacis emulo suscitate, ex quibus incendia, rapine, homicidia, monasteriorum, oppidorum, villarum et castrorum devastationes et destructiones et alia mala plurima sunt secuta, et quod ad sedandum hujusmodi guerras et discordias, communibus eorum amicis mediantibus, habitus est tractatus certis pactis et conventionibus roboratus, quod Henricus natus et Jutta predicta matrimonialiter copulentur. Verum quia Henricus domicellus et Jutta predicti quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, matrimonium hujusmodi contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte ipsorum Henrici domicelli et Jutte fuit nobis humiliter supplicatum, ut pro bono pacis et tranquillitatis commodo providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christi fidelibus quietis et pacis commoda procuramus, hujusmodi scandalis et periculis obviare ac inter eosdem Henricum, dominum de Gera, et Henricum Richem pacis et unionis intervenire concordiam cupientes, hujusmodi ac carissimi in Christo filii nostri Johannis, regis Boemie illustris, supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem Henrico domicello et Jutta, ut impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, nequaquam obstante, matrimonium hujusmodi libere contrahere valeant, auctoritate apostolica dispensare procures, prolem suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum apud Villam novam, Avinionensis diocesis, VII. kal. Septembris pontificatus nostri anno tertio.

37.

Clemens VI. ordinat, ut in capella in Wittemberg, a Rudolpho duce Saxonie constructa, decanus seu prepositus perpetuo esse debeat. ***Avinione, 1346 Maji 6.***

Clem. VI. Reg. Com. an. IV. lib. I. ep. 613. fol. 418a.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Piis desideriis gratum nos decet prestare consensum et ea, que divini cultus augmentum respiciunt, ut votivum conse-

[1]) *Or. episcopus etc.*

quantur effectum, favore prosequi gratioso. Sane pro parte dilecti filii Rudolphi, ducis Saxonie, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse ad domini nostri Jesu Christi impressum, gloriam et honorem, necnon unius spine et de corona spinea, sacratissimo capiti ejusdem domini nostri Jesu Christi impressa, dudum per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, eidem duci donate, conservationem, nec non sancti Wenceslai et aliorum sanctorum reverentiam, quandam capellam in loco habitationis sue, videlicet in Wittemberg, Brandeburgensis diocesis, canonice construi fecit, eamque certis bonis, ad prefatum ducem spectantibus, pro sufficienti sustentatione presbiterorum et clericorum, in predicta capella ad divinum officium canonice deputatorum, dotavit. Nos igitur, ejusdem ducis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica presentium tenore concedimus ac etiam ordinamus, quod in predicta capella decanus seu prepositus perpetuo esse debeat, qui per presbiteros et clericos ejusdem capelle, tam hac prima vice, quam postmodum, quotiens eandem capellam decano seu preposito carere contigerit, eligatur, quodque prefatus dux ac heredes et successores ipsius, cedentibus vel decedentibus presbiteris et clericis ejusdem capelle, alias personas idoneas in presbiteros et clericos, decano seu preposito ejusdem capelle perpetuis futuris temporibus habeant presentare, idemque decanus seu prepositus ad presentationem hujusmodi loco cedentium vel decedentium eorumdem alios presbiteros seu clericos in ipsa capella instituere, super quo sibi potestatem concedimus, teneatur, constitutionibus apostolicis seu statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et ordinationis infringere [1]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinione, II. non. Maji pontificatus nostri anno quarto.

---

[1]) *Or. nulli ergo etc. nostre concessionis et ordinationis infringere etc.*

38.

Clemens VI. ordinat, ut in capella in Wittenberg, a Rudolpho duce Saxonie constructa, decanus seu prepositus perpetuo esse debeat, et eximit capellam. **Avinione, 1346 Maji 6.**

*Clem. VI. Reg. Com. an. IV. lib. I. ep. 614. fol. 418*a.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Eximie devotionis affectus, quo dilectus filius nobilis vir Rudolphus, dux Saxonie, erga deum ac nos et Romanam ecclesiam pollere dinoscitur, rationabiliter nos inducit, ut votis suis in hiis potissime annuamus, per que divini cultus incrementa proveniant, ac personis divinis mancipatis obsequiis, ut eis liberius insistere valeant, pacis tranquillitas procuretur. Sane pro parte ducis ejusdem nobis nuper exposito, quod ipse ad domini nostri Jesu Christi gloriam et honorem, necnon unius spine et de corona spinea, sacratissimo capiti ejusdem domini nostri Jesu Christi impressa, dudum per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, eidem duci donate, conservationem et reverentiam sancti Wenceslai et aliorum sanctorum quandam capellam in loco habitationis ejusdem ducis, videlicet in Wittemberg, Brandeburgensis diocesis, canonice construi fecerat, eamque certis bonis, ad eundem ducem spectantibus, pro sufficienti sustentatione presbiterorum et clericorum inibi deputatorum dotaverat, nos ejusdem ducis supplicationibus annuentes, auctoritate apostolica concedendum duximus et etiam ordinandum, quod in predicta capella decanus seu prepositus perpetuo esse debeat, qui per presbiteros et clericos ejusdem capelle tam prima vice, quam postmodum, quoties eadem capella decano seu preposito carere contigerit, eligatur, quodque prefatus dux ac heredes et successores ejusdem, cedentibus vel decedentibus ipsius capelle presbiteris et clericis, alios presbiteros et clericos decano seu preposito ejusdem capelle, qui pro tempore foret, perpetuis futuris temporibus presentare, idemque decanus seu prepositus predictos presbiteros et clericos, ut premittitur, presentatos, ad presentationem hujusmodi in presbiteros seu clericos ejusdem capelle instituere habeat, super quo sibi potestatem concessimus per alias nostras litteras, (et) teneatur, constitutionibus apostolicis seu statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus quibuscumque, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte ejusdem ducis nobis exhi-

[1]) *Or. episcopus etc.*

bite petitionis series continebat, graves exactiones et molestie in illis partibus per ecclesiarum prelatos presbiteris et beneficiatis, petendo sepius fructus beneficiorum suorum primi anni, ac subsidii annis singulis sub excommunicationis et interdicti penis contra justitiam inferantur, nos, ut in eadem capella eo devotius divinis laudibus intendatur, quo ipsa et persone ipsius potioris extiterint immunitatis privilegio communite, prefati ducis supplicationibus inclinati, capellam, necnon decanum seu prepositum ac presbiteros et clericos, presentes et posteros, ac bona ipsorum, tam presentia quam futura, a cujuscumque ordinarii potestate, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo eximimus ac etiam liberamus, decernentes, ut decanus seu prepositus ejusdem capelle, qui erit pro tempore, una cum presbiteris et clericis ac capella bonisque predictis Romane dumtaxat ecclesię nullo medio sint subjecti, ipseque decanus seu prepositus in capelle presbiteros et clericos antedicte ordinariam habeat jurisdictionem perpetuis futuris temporibus exercere, quodque pro eo, quod pro confirmatione electionis, quam de ipso pro tempore fieri continget, nimis difficile redderetur eidem sedem apostolicam visitare, eo ipso, quod concorditer electus extiterit, ut prefertur, extunc perinde libere administrare ac regere valeat, ac si hujusmodi ejus electio per eandem sedem apostolicam existeret confirmata, ac etiam irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis, liberationis et constitutionis infringere [2]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, II. non. Maji pontificatus nostri anno quarto.

39.

Clemens VI. dispensat super defectu natalium Alberti, fratris Hospitalis b. Marie Theutonicorum Jeros., nati Erici ducis Saxonie, eumque ad omnes honores ecclesiasticos habilitat. **Apud Villam novam, 1346 Juli 1.**

Clem. VI. Reg. Com. an. V. lib. 11. pars II. ep. 212. fol. 124.

Clemens episcopus [2]) servus servorum dei. Dilecto filio Alberto, nato nobilis viri Erici, ducis Saxonie, fratri Hospitalis beate Marie

---

[1]) *Or. nulli ergo etc. nostre.* [2]) *Or. episcopus etc.*

Theutonicorum Jerosolimitanorum, salutem [1]) et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis copiosa benignitas, nonnunquam rigorem canonum mansuetudine temperans, erga personas presertim religiosas, quibus alias religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque probitatis merita suffragantur, in exhibitione gratie se interdum propiciam exhibet et benignam, concedendo eis aliqua religionis favore, que solent aliis interdici. Sane petitio, pro parte tua nobis nuper exhibita, continebat, quod olim nobilis mulier Elizabet, nata dilecti filii nobilis viri Buslai, principis Slavorum et Cassubie, mater tua, juvencula existens, ignara, quod inter eam et nobilem virum Ericum, ducem Saxonie, patrem tuum, aliquod impedimentum existeret, quod matrimonium impediret, de voluntate ejusdem principis, patris sui, aliorumque magnatum consanguineorum suorum cum dicto Herico duxit matrimonium solemniter contrahendum, carnali inter eos copula subsecuta, teque et plures alios filios mares et feminas procrearunt, quodque post hujusmodi inter ipsos matrimonium consumatum ante procreationem dictorum filiorum ad noticiam dicte Elizabet pervenit, quod ipsa et idem Ericus in tertio consanguinitatis gradu se invicem contingebant, et quod idem Ericus circa annum quartumdecimum etatis sue fuerat in subdiaconum ordinatus, licet in adulta etate pro laico publice se gessisset. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, divortium inter ipsos sine gravi scandalo non potuisset postea celebrari ac defectus hujusmodi in illis partibus sit occultus, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi ac statui tuo super hoc de opportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sicut habet fidedignorum assertio, hujusmodi defectum, quem pateris, religionis zelo, honestate morum et vite aliisque virtutum meritis recompensas, volentesque propterea personam tuam favore prosequi gracioso, hujusmodi supplicationibus inclinati, tecum, ut premissis ac quibusvis constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum ac ordinum quorumcumque contrariis nequaquam obstantibus, possis ad omnes sacros ordines promoveri, ac quecumque et qualiacumque beneficia, administrationes, seu officia ecclesiastica sibi invicem compatientia, etiam si dignitates, personatus vel officia in cathedralibus, regularibus ecclesiis seu monasteriis existant, et curam habeant animarum, etiam si per electionem quis assumatur ad illa, si tibi alias canonice conferantur, seu ad ea electus fueris, semel et pluries recipere ac licite retinere, et ad abbacialem et quamvis aliam dignitatem, preterquam episcopalem et superiorem dignitatem, licite eligi et assumi valeas, au-

[1]) *Or. salutem etc.*

ctoritate apostolica de speciali dono gratie dispensamus, teque ad omnes actus legitimos honoresque ecclesiasticos alios plene de apostolice potestatis plenitudine habilitamus, et perinde habilem reddimus, ac si esses de legitimo thoro natus. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis, habilitationis et restitutionis infringere [2]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam, Avinionensis diocesis, kal. Julii pontificatus nostri anno quinto.

40.

Clemens VI. dispensat super defectu natalium Magni scolaris, nati Erici, ducis Saxonie, eumque ad omnes honores ecclesiasticos habilitat. **Apud Villam novam, 1346 Juli 1.**

Clem. VI. Reg. Com. an. V. lib. II. pars II. ep. 213. pag. 124.

Clemens episcopus [3]) servus servorum dei. Dilecto filio Magno, nato nobilis viri Erici, ducis Saxonie, scolari, salutem [4]) et apostolicam benedictionem. Sedis apostolice circumspecta benignitas, nonnunquam rigorem canonum mansuetudine temperans, erga personas, quibus vite ac morum honestas aliaque probitatis merita suffragantur, in exhibitione gratie se interdum propiciam exhibet et benignam, concedendo eis aliqua, que solent aliis interdici. Sane petitio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim nobilis mulier Elizabeth, nata dilecti filii nobilis viri Buslai, principis Slavorum et Cassubie, mater tua, juvencula existens, ignara, quod inter eam et nobilem virum Ericum, ducem Saxonie, patrem tuum, aliquod impedimentum existeret, quod matrimonium impediret, de voluntate ejusdem principis, patris sui, aliorumque magnatum consanguineorum suorum, cum dicto Erico duxit matrimonium solenniter contrahendum, carnali inter eos copula subsecuta, teque et plures filios mares et feminas procrearunt, quodque post hujusmodi inter ipsos matrimonium consumatum ante procreationem dictorum filiorum ad noticiam dicte Elizabeth pervenit, quod ipsa et idem Ericus in tercio consanguinitatis gradu se invicem contingebant, et quod idem Ericus circa annum quartumdecimum etatis sue fuerat in subdiaconum ordinatus, licet in adulta etate pro laico

---

[1]) *Or. nulli ergo etc. nostre.* [2]) *Or. infringere etc.* [3]) *Or. episcopus etc*
[4]) *Or. salutem etc.*

se gessisset publice. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, divortium inter ipsos sine gravi scandalo non potuisset postea celebrari ac defectus hujusmodi in illis partibus sit occultus, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi ac statui tuo super hoc de opportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur attendentes, quod, sicut habet fidedignorum assertio, tu hujusmodi defectum, quem pateris, honestate morum et vite aliisque virtutum meritis recompensas, volentesque propterea personam tuam favore prosequi gracioso, hujusmodi supplicationibus inclinati, tecum, qui ascribi desideras milicie clericali, ut premissis ac quibuscumque constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumcumque contrariis nequaquam obstantibus, possis ad omnes sacros ordines promoveri, et quecumque et qualiacumque beneficia, administrationes seu officia ecclesiastica sibi invicem compatientia, etiam si dignitates, aut personatus vel officia in cathedralibus ecclesiis existant, et curam habeant animarum, etiam si per electionem quis assumatur ad illa, si tibi alias canonice offerantur, seu ad ea electus fueris, semel et pluries recipere ac licite retinere et ad quamcumque dignitatem, preterquam episcopalem ac superiorem dignitatem, licite eligi et assumi valeas, auctoritate apostolica de speciali dono gratie dispensamus, teque ad omnes actus legitimos honoresque ecclesiasticos alios plene de apostolice potestatis plenitudine habilitamus et perinde habilem reddimus, ac si esses de legitimo thoro natus. Nulli ergo [1]) omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et habilitationis infringere [2]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam, Avinionensis diocesis, kal. Julii pontificatus nostri anno quinto.

41.

Clemens VI. mandat episcopo Nuemburgensi, ut cum Henrico Sachse et Elisabeth Babin super matrimonio dispenset. **Avinione, 1346 Jul. 18.**

Clem. VI. Reg. Com. an. V. lib. II. pars II. ep. 540. fol. 227.

Clemens episcopus [3]) servus servorum dei. Venerabili fratri... episcopo Nuemburgensi salutem [4]) et apostolicam benedictionem. Exhibita pro parte dilecti filii Henrici, dicti Sachse, laici, ac dilecte

---

[1]) *Or. nulli ergo etc. nostre.* [2]) *Or. infringere etc.* [3]) *Or. episcopus etc.* [4]) *Or. salutem etc.*

in Christo filie Elizabeth, dicte Babin, mulieris tue diocesis, nuper nobis petitionis series continebat, quod, cum ipsi dudum vellent matrimonialiter copulari, materque ipsius Henrici prefatam Elizabeth de sacro fonte levasset, parentes ipsorum petito consilio a nonnullis plebanis et presbiteris, utrum hoc posset hujusmodi matrimonium impedire, iidemque parentes habitis consilio et responsionibus ab eisdem plebanis et presbiteris, quod predicta nullum impedimentum hujusmodi tunc contrahendo matrimonio afferebat, tanquam simplices et juris ignari, eorumdem plebanorum et presbiterorum hujusmodi consiliis inherentes, inter Henricum et Elizabeth prefatos matrimonium fieri procurarunt. Quod quidem matrimonium postmodum ipsi Henricus et Elizabeth publice et solenniter contraxerunt, illudque carnali copula consumarunt et prolem etiam procrearunt, quodque ipsi Henricus et Elizabeth postmodum informati, quod hujusmodi spiritualis cognatio eisdem in prefato matrimonio impedimentum prestabat, abstinuerunt et abstinent a consortio conjugali. Quare, sicut eadem petitio subjungebat, ipsi Henricus et Elizabeth non ex contemptu, sed credentes posse subsistere matrimonium antedictum, illud contraxerint, ut prefertur, fuit nobis pro parte ipsorum Henrici et Elizabeth humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de opportune dispensationis remedio dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, eisdem Henrico et Elizabeth separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expedire, eisque injuncta bona penitentia salutari, cum eisdem Henrico et Elizabeth, ut ipsi, impedimento, quod ex dicta cognatione provenit, non obstante, in hujusmodi matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex hujusmodi matrimonio legitimam nuntiando. Datum Avinione, XV. kal. Augusti pontificatus nostri anno quinto.

42.

Clemens VI. confirmat Nicolaum electum Nuemburgensem. ***Avinione, 1349 Jan. 7.***

Clem. VI. Reg. Com. an. VII. pars I. ep. 114. fol. 76.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio Nicolao electo Nuemburgensi salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Mi-

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

litanti ecclesie disponente domino licet immeriti presidentes, circa curam ecclesiarum omnium reddimur indefessa mente solliciti, ut juxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici curam utiliter gerere, divina cooperante clementia studeamus et quanquam assidue vigilemus commodis singularum, tamen erga illas, que viduitatis deplorant incommoda, propensiori sollicitudine ac majori pulsamur instantia, ut eis preficiamus viros secundum cor nostrum ydoneos in pastores. Dudum siquidem bone memorie Vitikone, episcopo Nuemburgensi, regimini Nuemburgensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam idoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie Nuemburgensis ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ejusdem Vitikonis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, nos vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Nuemburgensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere juribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te archidiaconum Horzoniensem in ecclesia Pragensi, capellanum nostrum, in subdiaconatus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout etiam apud nos tibi fidedigna perhibentur testimonia, insignitum, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Nuemburgensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum, pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Nuemburgensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia Nuemburgensis sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Jugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi ejus oneri humiliter colla submittens, ejusdem ecclesie Nuemburgensis solicitam curam geras, gregem dominicum, in illa tibi commissum, doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Nuemburgensis ecclesia gubernatori circumspecto et studioso administratori gaudeat

se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benivolencie graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione, VII. id. Januarii pontificatus nostri anno septimo.

In eundem modum capitulo ecclesie, clero et populo civitatis et diocesis Nuemburgensis — quatenus eidem Nicolao electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei reverenciam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiatis devote et efficaciter adimplere curetis etc.

In eundem modum universis vassallis ecclesie Nuemburgensis etc.

In eundem modum archiepiscopo Magdeburgensi et Carolo, regi Romanorum et Boemie etc. Datum ut supra.

43.

Clemens VI. Nicolaum episcopum Nuemburgensem ad ecclesiam patriarchalem Aquilejensem transfert. **Avinione, 1350 Oct. 22.**

Clem. VI. Reg. Com. an. IX. lib. I. ep. 14. fol. 7.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Venerabili fratri Nicolao, episcopo olim Nuemburgensi, in patriarcham Aquilegensem electo, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Quam sit onusta etc. Dudum siquidem bone memorie Bertrando, patriarcha Aquilegensi, regimini Aquilegensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem ejusdem ecclesie dispositioni nostre et dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum Bertrandi patriarche, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis deploraret incommoda, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi ecclesie Aquilegensi talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere juribus et etiam adaugere,

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc episcopum Nuemburgensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod tu Nuemburgensi ecclesie laudabiliter hactenus prefuisti, convertimus oculos nostre mentis, intendentes itaque tam dicte Aquilegensi ecclesie, quam gregi dominico ejusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo ipsi Nuemburgensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Aquilegensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in patriarcham et pastorem, curam et administrationem ejusdem Aquilegensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad prefatam Aquilegensem ecclesiam transeundi, firma spe etc. Datum Avinione, XI. kal. Novembris pontificatus nostri anno nono.

In eundem modum capitulo ecclesie Aquilegensis, clero, populo civitatis et diocesis Aquilegensis, universis vassallis ecclesie Aquilegensis.

44.

Clemens VI. confirmat Johannem electum Nuemburgensem. ***Avinione, 1351 Jul. 4.***

Clem. VI. Reg. Com. an. X. lib. II. ep. 35. fol. 44.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Venerabili fratri Johanni, episcopo Nuemburgensi, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. In supreme dignitatis specula [3]), licet immeriti, disponente domino constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de personis illis provideatur ecclesiis pastoribus, quarum industria et virtute eedem ecclesie in suis juribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, et commodis salutis et gaudii plebs letetur. Dudum siquidem bone memorie Wytegone, episcopo Nuemburgensi, regimini Nuemburgensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem ejusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata

---

1) *Or. episcopus etc.* 2) *Or. salutem etc.* 3) *Or. in supreme dignitatis specula etc.*

ecclesia per obitum ejusdem Wytegonis, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii decanus et capitulum ejusdem ecclesie, reservationem et decretum ignorantes predicta, te, tunc ejusdem ecclesie canonicum, in sacerdotio constitutum, per viam compromissi in Nuemburgensem episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, hujusmodi electioni de te facte ad instantiam decani et capituli predictorum consentiens, obtinuisti a venerabili fratre nostro Ottone, archiepiscopo Magdeburgensi, loci metropolitano, reservationem et decretum predicta etiam ignorante, electionem ipsam auctoritate metropolitica confirmari de facto, tibique munus consecrationis impendi et extunc electionis, confirmationis et consecrationis predictarum pretextu te administrationi ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus ingessisti. Subsequenter vero vacatione predicta ad nostram deducta notitiam, nos ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, paternis et sollicitis studiis intendentes, de persona venerabilis fratris nostri Nicolai, patriarche Aquilegensis, tunc archidiaconi Horsoniensis in ecclesia Pragensi, eidem Nuemburgensi ecclesie auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo eum eidem Nuemburgensi ecclesie, in episcopum et pastorem. Et demum priusquam littere nostre super ipsius Nicolai provisione confecte in eadem ecclesia, aut civitate vel diocesi Nuemburgensi aliquatenus presentate, aut hujusmodi nostra provisio ibidem publicate fuissent, ipsum Nicolaum apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo eidem Nuemburgensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, ex certis causis rationabilibus de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Aquilegensem ecclesiam tunc vacantem apostolica auctoritate transtulimus, ipsumque eidem Aquilegensi ecclesie in patriarcham prefecimus et pastorem, curam (et) administrationem ipsius Aquilegensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Tandem vero reservatione et decreto ac provisione et translatione premissis ad tuam deductis notitiam, tu electionem, confirmationem et muneris impensionem predictas proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem et confirmationem predictas, utpote post et contra reservationem et decretum attemptatas predicta reputantes, prout erant, irritas et inanes, et ad provisionem ipsius Nuemburgensis ecclesie per hujusmodi translationem vacantis, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, pro eo, quod nos dudum ante ultimam vacationem hujusmodi ejusdem Nuemburgensis ecclesie provisiones omnium cathedralium ecclesiarum tunc apud dictam sedem vacantium et inantea vacaturarum dispositioni

nostre duximus specialiter reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne ulterioris vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, honestate morum et vite, prudentia spiritualium et temporalium providentia aliisque virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus, necnon dictorum decani et capituli te eligentium unanimi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et dictis fratribus ob hujusmodi tuorum exigentia meritorum accepta, prefate Nuemburgensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo et nichilominus munus consecrationis tibi, ut prefertur, impensum, et quecumque per te dictam reservationem ignorantem seu mandato tuo circa administrationem predictam, alias tamen rite sunt facta, auctoritate predicta ex certa scientia ratificamus et etiam approbamus etc. Datum Avinione, IIII. non. Julii pontificatus nostri anno decimo.

In eundem modum capitulo ecclesie Nuemburgensis, clero, populo civitatis et diocesis Nuemburgensis, universis vassallis ecclesie Nuemburgensis, archiepiscopo Magdeburgensi et Karolo, regi Romanorum illustri.

45.

Clemens VI. preficit Johannem de Novoforo ecclesie Nuemburgensi in episcopum. **Avinione, 1352 Febr. 16.**

Clem. VI. Reg. Com. an. X. lib. II. ep. 68. fol. 61.

Clemens episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio Johanni de Novoforo, electo Nuemburgensi, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Ecclesiarum omnium, licet immeriti, nobis cura commissa continue nos angit et pulsat insultibus successivis, ut circa eas presertim, que suis sunt destitute pastoribus, sic nostre diligentie studio intendamus, quod ecclesie ipse pro defectu pastorum non ledantur, sed in suis juribus et libertatibus spiritualiter prosperentur, et continue auctore domino suscipiant incrementa. Dudum siquidem bone memorie Johanne, episcopo Nuemburgensi, re-

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

gimini Nuemburgensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ejusdem ecclesie (dispositioni et) ordinationi nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ipsius Johannis episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ecclesie predicte, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subjaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, canonicum Wratislaviensem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia preditum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicum virtutum meritis, prout testimonio fidedigno percepimus, insignitum, dreximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua prefate Nuemburgensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata Nuemburgensis ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, salubriter et prospere dirigetur. Jugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens et reverenter suavi ejus oneri collum flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Nuemburgensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, teque preter eterne retributionis premium benevolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione, XV. kal. Martii pontificatus nostri anno decimo.

In eundem modum capitulo ecclesie Nuemburgensis, clero, populo civitatis et diocesis Nuemburgensis, universis vassallis ecclesie Nuemburgensis, archiepiscopo Magdeburgensi, et Carolo, regi Romanorum illustri.

46.

Innocentius VI. prorogat Gerardo electo Nuemburgensi tempus consecrationis. **Apud Villam novam, 1359 Jun. 12.**

Innoc. VI. Reg. an. VII. pars III. tom. XX. ep. 154. fol. 670.

Innocentius episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio Gerardo, electo Nuemburgensi, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis etc. Cum itaque ecclesie Nuemburgensi tunc vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris, tuorum exigentia meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficientes te eidem ecclesie in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos tuis supplicationibus inclinati tempus recipiendi munus consecrationis a canonibus diffinitum, infra quod adhuc fore dinosceris, ad unum annum, a dato presentium computandum, eadem auctoritate, de speciali gratia prorogamus, proviso quod interim taliter de ipsius ecclesie administratione provideas, quod ipsa in spiritualibus non ledatur, nec in temporalibus detrimentum propterea patiatur. Nulli [3]) ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre prorogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam novam, Avinionensis diocesis, II. id. Junii pontificatus nostri anno septimo.

47.

Urbanus V. Gerardo episcopo Nuemburgensi, ut, si qui in partibus suis adherentes Bernaboni existant, si penituerint, a censuris absolvat. **Avinione, 1363 Maji 20.**

Urb. V. Reg. Secret. an. I. ep.. fol. 197 a.

Urbanus episcopus [4]) servus servorum dei. Dilecto filio Gerardo, electo Nuemburgensi, salutem [5]) et apostolicam benedictionem. Animarum saluti ac utilitati sancte Romane ecclesie, quantum cum deo possumus, prospicere intendentes, discretioni tue, de qua in hiis et aliis plenam fiduciam gerimus, recipiendi a quibuscumque receptatoribus, defensoribus, fautoribus, auxiliatoribus et consiliatoribus

---

1) *Or. episcopus etc.* 2) *Or. salutem etc.* 3) *Or. nulli ergo etc. nostre prorogationis infringere etc.* 4) *Or. episcopus etc.* 5) *Or. salutem etc.*

maledictionis alumpni Bernabonis de Vicecomitibus, civis Mediolanensis, heretici perfidi, ac post adjurationem hujusmodi eos ab omnibus et singulis sententiis et penis, a jure vel homine contra receptatores, defensores et fautores, auxiliatores et consiliatores hereticorum, et eis adherentes prolatis et inflictis auctoritate nostra in forma ecclesie absolvendi, injunctis eis, quod de cetero similia non committant, nec facientibus prebeant auxilium, consilium et favorem, ac quod pro speciali penitentia serviant personaliter eidem ecclesie contra Bernabonem predictum et sequaces ejusdem juxta modum culpe facultates eorum, et alia penitentia salutari et aliis, que de jure fuerint injungenda, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, XIII. kal. Junii pontificatus nostri anno primo.

48.

Urbanus V. Rudolpho duci Saxonie, ut Romanorum imperatorem in itinere suo Italico comitari velit. ***Rome, apud s. Petrum, 1367 Dec. 17.***

Urb. V. Reg. Secret. an. VI. fol. 30 a.

Urbanus episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Rodulpho, duci Saxonie, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Cum carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum, imperator semper augustus, nuper nobis duxerit nuntiandum, se firmiter deliberasse pro honore et commodo Romani imperii infra mensem Martii proxime futurum ad partes Italie personaliter proficisci, nos ejus deliberationem hujusmodi commendantes, ac cupientes, quod adventus ipse eo felicius prosperetur, quo idem imperator plurium et majorum principum ac magnatum honorabili et grandi comitiva fuerit sociatus, et specialiter asserens, quod tua presentia, ex qua providi et fidelis consilii, ac magni auxilii fructum dictus imperator percipiet, assistat eidem, nobilitatem tuam, in cujus desiderio et opere debet esse, quod hujus honor et commodum subsequatur, affectuose precamur, quatenus prefatum imperatorem ad dictas partes Italie, si commode poteris, cum tua potentia personaliter comitari velis vel tale auxilium militare impendas eidem, quod exinde tua persona magnifice honoretur, idemque imperator fructum optatum percipiat, tuque nostram et apostolice sedis ac imperatoris prefati dignam commendationem et pleniorem benivolentiam consequi valeas. Datum Rome, apud sanctum Petrum, XVI. kal. Januarii pontificatus nostri anno sexto.

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

49.

Urbanus V. preficit Theodoricum ecclesie Misnensi in episcopum.
Apud Montem Flasconem, 1370 Maji 29.

Urb. V. Reg. an. VIII. pars I. cod. chart. tom. XXII. ep. . fol. 87 a.

Urbanus episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio Theoderico electo Misnensi, salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Romani pontificis [3]), qui disponente illo, cujus providentie magnitudo celestia simul et terrena disposuit, preesse dinoscitur universis, plena curis et labore non vacua sollicitudo requirit, ut ipse circa cujuslibet statum ecclesie sic sollerter invigilet, sic prospiciat diligenter, ut per ejus circumspectionem providam et providentiam circumspectam, nunc per simplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis accommode, prout locorum et temporum qualitas exigit, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus, rector providus deputetur, ut superni favoris cooperante suffragio, ecclesie ipse votive prosperitatis successibus gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Johanne, episcopo Misnensi, regimini Misnensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam preficere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ejusdem Johannis episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilectus filius Nicolaus decanus et capitulum ejusdem ecclesie hujusmodi reservationis et decreti, ut asserunt, ignari, te, archidiaconum Nisicensem in eadem ecclesia, bacalaurium in decretis, in diaconatus ordine constitutum, in Misnensem episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius, electioni hujusmodi, illius tibi presentato decreto, licet de facto, consensisti, et deinde hujusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis notitiam, hujusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes electionem predictam post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam, eam et alia inde secuta, prout erant, reputavimus irrita et inania, et ad provisionem ejusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest,

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.* [3]) *Or. Romani ponitficis etc.*

reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subjaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem, ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te, cui de litterarum scientia, vite ac morum honestate, spiritualium providentia et temporalium circumspectione et aliis virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus, necnon dictorum decani et capituli te eligentium concordi voluntate, attenta meditatione pensatis de persona tua, prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo etc. Datum apud Montem Flasconem, IIII. kal. Junii pontificatus nostri anno octavo.

In eundem modum capitulo ecclesie Misnensis, clero, populo civitatis et diocesis Misnensis, universis vassallis ecclesie Misnensis, archiepiscopo Magdeburgensi et Carolo Romanorum imperatori semper augusto.

50.

Gregorius XI. dat Witkoni episcopo Nuemburgensi licentiam munus consecrationis recipiendi. **Avinione, 1372 Dec. 28.**

Greg. XI. Reg. an. II. pars III. tom. XIII. ep. 825 fol. 473a. Cod. chartac.

Gregorius episcopus [1]) servus servorum dei. Dilecto filio Witkoni electo Nuemburgensi salutem [2]) et apostolicam benedictionem. Cum nos pridem Nuemburgensi ecclesie, pastoris regimine destitute, de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut a quocumque malueris catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium

---

[1]) *Or. episcopus etc.* [2]) *Or. salutem etc.*

facultatem. Volumus autem, quod idem antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat juramentum juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam juramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc venerabili fratri nostro Magdeburgensi archiepiscopo, cui prefata ecclesia metropolitico jure subesse dinoscitur, nullum imposterum prejudicium generetur. Datum Avinione, V. kal. Januarii pontificatus nostri anno secundo.

INDEX NOMINUM.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

U.

V.

CORRIGENDA.

p. 2 l. 21 leg. P. 15, 721.
p. 7 l. 16 leg. 80.
p. 7 l. 19 leg. 81.
p. 27 l. 14 leg. Portuensis.
p. 29 l. 27 leg. Bruniacensis.
p. 32 l. 22 leg. Lironis.
p. 36 l. 5 leg. Suevie.
p. 44 l. 35 leg. 15, 384.
p. 45 l. 36 leg. 571.
p. 71 l. 15 leg. Ovetensis.
p. 80 l. 19 leg. 965.
p. 91 l. 28 leg. filius Guidonis.
p. 113 l. 19 leg. Laventino et Chimensi.

icana (Posse editor)
4605

